

A

248  
—  
—  
—  
—

Judicium ... Kolosovsk, 1579.

RMK II. 151.

Kolosovsk, mit. koll.



Utricum.

scrie, 3 octombrie 1955

Serviciul de Documentare Științifică a Acad. R. R. R.

R. R. R.



R.M. II. 157

Top II 20 a




34. VII. 34.



**I V D I C I V M**  
**Ecclesiarum Polo-**

**N I C A R V M D E C A V S A F R A N C I -**  
**sci Davidis, in quaestione de vera ho-**  
*minis IESV CHRISTI, filij Dei viventis*  
*inuocatione.*

NAGY AJTAY  
KOVACS ISTVAN



**Matt: 10.**

*Omnis igitur qui confitebitur me coram hominibus,  
confitebor et ego eum coram Patre meo qui est in Coe-  
lis. Quisquis autem negauerit me coram hominibus, ne-  
gabo eum et ego coram Patre meo qui est in caelis.*

**CLAVDIOPOLI**

**In Officina Relictæ Casparis Helti.**

**Anno M. D. LXXIX.**



UNIVERSITÄT  
UNIVERSITÄT  
UNIVERSITÄT  
UNIVERSITÄT




## AD LECTOREM CANDIDVM.

**M**ulti multas afferre sui instituti causas solent: quoties aut proprio Marte elaboratos libros, aut ab alijs conscripta opera edere in vulgus, vel ob publicum ciuilem societatis cōmodum, vel propter insignem aliquam vtilitatem Ecclesiæ, nequaquam dubitant. Ea siquidem ratione, & temeritatis crimen, quantum in se est, prudenter amouent ac euitant, & lectoribus synceris & ingenuis, quosdam quasi stimulos, quibus eos ad legendum, & ad cognoscendum opus, toto studio inuitent accendantq̃, iniiciunt. At verò nos, candide lector, non est cur tibi nostrum de hoc tam breui libello pro tuenda gloria CHRISTI publicando Consilium multis aperiamus. Tantum quod caput est rei, apponere voluimus, Franciscum Dauidem, cum superiore Anno, propter doctrinam de inuocatione IESV CHRISTI ad dextram Patris exaltati abolenda (quæ sanè absurda opinio plurimas alias, tãquam catena catenam, vt de regno, de pontificatu, curaq̃ Christi secum trahit) ab omnibus totius Transyluaniaë ordinibus, atq̃ etiam potiõribus per Hungariam sparsis ministris damnatus esset, nec iã se, suamq̃ causam, vt quæ ex diametro cum luculentis scripturæ sanctæ oraculis pugnaret, tueri amplius posset: ad Ecclesiarũ Polonicarũ de præsentia controuersia iudicium in amplissimo atq̃ frequentissimo procerum, nobiliũ, ciuiũ, pastorumq̃ conuentu, & quod maius est, Principe ipso Illustrissimo, atq̃ clementissimo assidente, appellauisse, simul etiã iure iurando interposito, velle se sententiæ à Polonis fratribus de materia hac controuersa lata, bona fide, & syncere citra vllã tergiversationẽ



subscribere. Quod sanè eo maiorem cuius corda-  
to, & constanti homini admirationè parere potest,  
quod nō obscurè ex epistola Gregorij Pauli, quid  
de hoc negotio contra ipsum, Polonicæ sentirent  
ecclesiæ, iam antea intellexerat. Sed sic fit, quādo  
miseri mortales, plusq̃ par est ingenio confisi, non-  
dumq̃ de re aliqua benè firmi ac certi, eam præci-  
piti mentis lapsu diuulgare, ac propagare, vel inui-  
ta ecclesia, atq̃ veritate nituntur. Porro nunc re-  
sponsum illud Polonorū non in hoc vel illo angu-  
lo priuatim natum, sed ab vniuersa synodo in Bel-  
zicze congregata constantissimè profectum, vel  
hoc potissimum nomine emittere in publicum li-  
buit, vt nostrum cum Polonicis ecclesijs de vera  
IESV CHRISTI filij Dei viuentis inuocatione,  
consensum firmum, ipsiq̃ Prophetarum & Apo-  
stolorum scriptis purissimis conformem, omnibus  
pijs ac modestis hominibus, præsertim propter eos,  
qui non nisi perpaucos nos huius doctrinæ de ho-  
mine IESV CHRISTO inuocando, atq̃ adoran-  
do assertores esse somniant, candidè & ingenuè te-  
statum faceremus.

Quæ verò Poloni fratres de baptismo, & non-  
nullis alijs quæ ad præcipuum quæstionis institutæ  
scopum non faciunt, huius scripto obiter inspersa  
attigerunt, consultò ne non miscenda miscerentur,  
neue longior impressioni contingeret mora, præ-  
termisimus. Vale pie lector in Domino.



Minist: Euangelij IESV  
CHRISTI apud Clau-  
diopolitanos.

MA-



MAGNIFICO AC EXCELLENTI  
Domino Georgio Blandratae, Caterisq; in  
Transyluania fratribus in Christo Domino  
dilectis, Gratia Pax à Deo Patre & Do-  
mino ac Seruatore nostro IESV  
CHRISTO.



**R**editae sunt nobis literae vestrae Fratres obseruan-  
di, quas ad nos Die XVII. Iunij Alba Iulia dedi-  
stis; quibus adiuncti sunt libelli tres, quorum pri-  
mus continet Theses D. Georgij Blandratae cum  
contrarijs Thesis Francisci Davidis, alter ha-  
bet propositiones Francisci Davidis, quibus probare nititur,  
inuocationem CHRISTI filij DEI viuentis prorsus nullum lo-  
cum habere posse, nisi quis summa iniuria Deum ipsum, Pa-  
trem CHRISTI Iesu Domini nostri afficere velit. Quibus ad-  
nexa est Responso Fausti Sozini. Tertius est libellus, in quo  
Franciscus Davidis doctrinam de inuocatione Domini nostri  
IESV CHRISTI, summis viribus impugnat, & argumenta Sozi-  
ni, maxima contentione conuellere satagit. De his omnibus, vt  
nostrum iudicium quamprimum extet, literis vestris à nobis  
efflagitatis. Caterum, quia longinquitate locorum ita seiun-  
cti sumus, vt non facile coire in vnum possimus, dabitis veniam,  
si non tam cito à nobis responsum continget. Praeterea cum  
huic questioni pleraq; alia sint adnexa, quae maxima quoq;  
deliberatione opus habent: vt pote de progressu istius conten-  
tionis, & causa, & fine: deinde de quibusdam legibus, contra  
quas Franciscus Davidis peccasse dicitur, eoq; nomine conui-  
ctus & damnatus: tertio, quod lata sententia, Ecclesiarum no-  
strarum iudicio se submiserit, & iureiurando obstrinxerit, vt  
rata habeat, quae à nobis in hac questione ex scripturis sanctis  
demonstrata fuerint. Ad quae omnia respondere, non putamus  
partium esse nostrarum, ne extra metas functionis nostrae, &



Ministerij Euangelici profilijsse, merito à quoquam argui possemus. Quid enim ad nos attinet, de legibus prouinciarum, aut de iudicijs & Magistratus authoritate Serenissimorum Principum, Regumq; potentissimorum decernere, rectène an secus faciant? cum & ipse filius Dei, vel impij Magistratus authoritatem approbauerit, & se quamuis iniuste ab illo ad omnium probrosissimam mortem condemnari passus est, nec aperuit os suum, sicut de illo Prophetae sancti antea prädixerant. Nos quoq; ad eum modum affectos & comparatos esse decet, ne supra magistrum nostrum discipuli sapere videamur, aut commodiorem conditionem eligere quàm affectas CHRISTI deceat. Ac proinde ardentis preces semper ad Deum fundimus pro Rege nostro, & ijs qui sunt in magistratu constituti, ut illos Deus, spiritu suo sancto regat, & forti manu firmet ac detineat, ne cursum Euangelij quoquomodo impediant: alioquin parati per DEI gratiam perpeti, quicquid de nobis ex permissione DEI statuerit, absq; vlla cōtradictione. De quaestione itaq; controuersa quid sentiamus, quantum nobis Deus opt: max: mentis, intellectus, & diuinae lucis conceperit, libenter & de plano aperiemus, ut non solum vobis, sed toti orbi etiam sit doctrina nostra manifesta, quam ex Euangelio IESU CHRISTI Domini nostri non solum profiteamur, sed etiam in vsu per sacrum Ministerium habemus, & ad vitæ, & sanctæ conuersationis consuetudinem applicamus. Quod studium, si sequuti fuissent, qui huius contentionis fuere authores, nequaquam tantas turbas sua petulantia dedissent. Vnde apparet Ecclesiã Christi absq; disciplina nullo modo ita conseruari posse, ut à nullo vento dimoueatur, imò verò ad quosuis tempestatum impetus inconcussa permaneat. Quod utinam agnoscant, vel tot malis edocti qui docendo populo præsunt, & sancto Ministerio destinati sunt. Quæ in calce literarum de vestris conatibus in promouendo regno Christi & studio pietatis scribitis, tum etiam de mutuo consensu in dogmatibus fidei, & quas cautiones adhibetis, ad hæc, si domino visum fuerit, vel in calce huius tractatuli, vel aliqui fratres priuatim per literas respondebūt. Ceterū ne expectetis à nobis, ut in hac controuersia ita singu-

la



la perstringamus, ut nulla periodus intacta permaneat, illud enim esset infiniti laboris: Deinde quod in vobis minimè probamus, non necessariam multarum thesaurum tam subtilem, & verbis non ex scriptura sancta petitis explanationem: alioquin oporteret nos ingredi Labyrinthos nunquam finiendos, & doctrinam de domini nostri IESU CHRISTI inuocatione, puram & sacrosanctam, exoticis vocibus conspurcaremus. Thesis itaq; quæ inter D. Doctorem Blandratam & Franciscum Davidis intercesserunt, manum adhibere non libet, ne cogamur inuoluere fidei nostræ confessionem varijs & diuersis argumentis in unum coaceruatis, atq; sic lectoribus oneri esse, & veritatis cognitionem impedire. Fausti quoq; Sozini scriptum, maiori censura non videtur opus habere, nobiscum enim consentientia illum sequi videmus: nisi quod sub finem responsionis non satis se explicat, vbi infirmitatis esse indicium CHRISTUM inuocare, ut nobis adsit, Deum verò ipsum recta adoriri, perfectionis dicit. Si per modum concessionis posuit, ut vel hoc pacto inuocationem CHRISTI adserat, habet quandam excusationem color Rhetoricus: Si vero simplex est assertio, illi minimè accedimus. Non enim CHRISTUM talem intercessorem agnoscimus, qui nihil, quàm quòd interpellat, possit: verum etiam datorem bonorum spiritualium, & vitæ æternæ, firmiter credimus. Nunc scriptum Francisci, & quàm dextrè doctrinã inuocationis conuellat, summa diligentia excutiamus. Principio itaq; exigit Franciscus expressum Dei aut ipsiusmet CHRISTI de inuocatione præceptum. Alioquin nisi verbis planis id in scripturis S. demonstratur, frustra rem quoq; ipsam quæri. Cum ex alijs quoq; questionibus id ipsum experti simus, ut de Trinitate, Missa, &c. quæ voces, cum in scripturis S. non extent, ne rem quoq; esse, sic & de alijs sentiendum. Cæterum hic bonus vir vltro non videt, quod se videre velle simulat. Eandem enim excusationem aliàs quoq; adferebat ipse, & alij quidam tñ de Baptismo, tum de Cænâ domini legitimo vsu. Tametsi verò non parum momenti habet, quòd in tantis angustijs positus, iã à summo magistratu damnatus, vltro iudicio Ecclesiarum nostrarum, dogma hoc suum subiecit, & ut scripta nostra testan-



tur, sancte pollicitus est se sequuturum, quod hic statuerimus: nihilominus significationem proprio scripto nullam de ea reddidit, cum tamen & hoc illi per vos licuisse facile adducimus ut credamus: quod autem non fecerit, est quod vehementer miremur. Tamen quia charitas Christiana teste Paulo non est suspiciosa, sustinet verò & sperat omnia, neq; cogitat proximo malum, imò etiam multitudinem peccatorum operit, proinde nos quoq; in meliorem partem accipimus & interpretamur, nihil veriti, quin studium hoc nostrum, & sanctus labor, maximo vsui sit futurus. Sed iam tempus est ut negotium hoc aggrediamur, faxit ille cuius causam agimus, ut sit felix atq; faustum. Ceterum antequam de mandato & prescripto invocationis Christi verba simus facturi, ordinis didactici ratio postulat, ut quedam alia explicemus, quæ lucem adferant causæ, illamq; illustrent, & ad veritatem indagandam & cognoscendam lectorem Christianum plurimum iuvent, docilemq; reddant. Primum itaq; omnium de hac voce INVOCATIO statuendum sit, ne nobis in progressu negocij, quid ambiguitatis pariat. Sunt enim qui vocem hanc eludant, cum pressi fuerint scripturarum sanctarum testimonio. Nam nihil aliud significari hac voce volunt, quàm nomine alicuius censeri. Quemadmodum vxor mariti nomine se venditat, filij parentum, subditi dominorum. Proindeq; fideles etiam à Christo hanc denominationem habere ut Christiani vocentur, quia sunt Christi. Nam & ille sponsus est noster, & caput nostrum, nosq; vicissim eius membra. Ceterum ne ad eum modum quis in hac controuersia cauillari possit. D. Paulus 2. Tim: 2. vers. 19 & 22, impedit, nam sic habet vetus interpres in utroq; versu. Discedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Vbi Paulus habet ονομαζων Το ονομα Χριστου, qui se Christi esse iactat, eiusq; nomen preterit & nominat. Alter versus sic habet, Sectare iustitiam, fidem, spem, & charitatē & pacē cum his qui inuocant Dñm ex puro corde. Ibi græcus textus habet. ἐπιλαλόμενων Τον κυριον ἐκ καθαράς καρδίας. Ad eundem modum Rom: 12. hac voce utitur idem Paulus, vers. 1, παραλαλῶ hoc est precor. Vnde facile quisq; minime contentiosus



tiosus colliget *παράκλησις* siue inuocare, secundum scripturæ  
S. sensum & vsum nihil aliud esse, quàm precari & petere.  
Quod vt cò clarius conspici possit adducemus in medium alias  
quoq; voces, quæ idem prorsus significant, Inuocare, adorare,  
petere, supplicare, interpellare, precari, orare, implorare  
Deum eiusq; auxilium, seruire, colere, etiam intercedere, &c.  
Idemq; sentiendum est de nominibus quoq; ipsis, quæ ab his ver-  
bis descendunt, suntq; scripturæ sanctæ in vsum: vtpote Inuoca-  
tio, adoratio, petitio, supplicatio, interpellatio, precatio, o-  
ratio, seruitus, cultus, intercessio, & gratiarum actio. Cete-  
rum diligenter obseruandum est, non tantum in negotio pie-  
tatis & fidei cultuq; diuino istarum vocum vsum esse, cū ple-  
risq; in externa conuersatione frequenter vtamur: non enim  
ratione caret, quod Deus homines suis quãdoq; titulis insignit,  
vt illis qui sunt in Magistratu constituti, summus habeatur ho-  
nos, etiam Paulo teste. Rom: 13. vers. 7. & alibi ita etiam  
parentibus præceptoribus, etiam præbyteris qui benè præsent,  
duplex honos. Ita enim comparatum est, vt optime Deus opt:  
max: omnia disposuerit, ne alter absq; alterius cura, prote-  
ctione, labore & auxilio esse possimus, quamdiu hanc terram  
incolimus. Sed vbi negotium est fidei, iam voces illæ augustius  
sonant, ita vt impium sit aliò adorationem & cultum diuinum  
transferre, quàm quo à Deo sunt destinata: Teste Mose &  
CHRISTO, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.  
Vt ergo inuocationis constet ratio, ne in vanum precemur,  
tria potissimum requiruntur in inuocando: vt statuamus nos  
exaudiri, quòd frustra inuocantur illi, qui de nobis nullam ha-  
bent curam, neq; sciunt quid nobiscum agatur, Teste Isaia  
cap: 63. Abraham nesciuit nos, & Israël ignorauit nos. Tu  
domine Pater noster, redemptor noster, à seculo nomen tuum.  
Idem alio loco idololatrias insultat de illorum dijs falsis, vt aut  
male saltem faciant, quandoquidem benè facere nequeunt Cap:  
45. & 46. Et alibi. Alterum est vt de voluntate simus cer-  
ti, sicut Iohannes admonet. 1. Ioan: 5. vers. 14. Rom: 12.  
vers. 2. Ita Saulis preces fuerunt vana, etiam ipso Samuele  
deprecante pro eo, quia cor Dei non erat cum eo. Et Zebedei

B

filij



filij repulsam patiuntur, quia ignari de Christi voluntate, pro  
fessione illum frustra postulant. Tertium ut de facultate præ-  
standi nobis constet: teste Paulo Rom: 10. vers. 12. Idem Do-  
minus diues in omnes inuocantes ipsum. Eamq; ob causam san-  
cti in suis preceationibus semper omnipotentiae Dei meminisse  
solent, qua in fide confirmentur: quod is quem inuocant potes  
sit & prestare. De Deo quidem nemo est fortasse qui dubitet  
quod hæc omnia possit & velit; teste Christo Matt: 6. Per  
totum fere caput, ut non sit necesse aliquem versiculum anno-  
tare. De Christo autem sunt qui dubitant, alij etiam mordicus  
summaq; contentione impugnant. Nostri itaq; muneris ratio  
postulat, ut quod ex scripturis sanctis hauserimus, hic palam  
faciamus. Cæterum ne fucum lectori faciamus in usu nominis  
Christi filij Dei uiuentis: pleriq; enim Christum putant esse  
inuocandum ex præsumpta opinione, quod existiment illum esse  
vnum Deum cum Patre & Spiritu S. Alij in hoc homine aliū  
quempiam filium Dei imaginantur quem inuocent: nequaquam  
hunc honorem homini Christo concessuri. Nos verò ex Spi-  
ritu Sancto edocti, non dubitamus, Christo etiam infanti ad-  
huc, & in cunis iacenti, hunc honorem habere, ut prostrati in  
terram proni recens natum regem vnà cum Magis adoremus,  
conceptum de Spiritu S. & ex Maria virgine natum, post-  
modum etiam & in cruce pendentem idem quod latro prece-  
tus est illi vendicare. Multò verò magis ad dexteram Dei ex-  
altato & semper uiuenti, conscij, quod si per mortem illius, cū  
adhuc inimici essemus, Deo sumus reconciliati, multò magis iā  
reconciliati seruabimur per vitam ipsius. Addo etiam quod  
iustificati eius sanguine nūc seruabimur per eum ab ira. Rom:  
5. vers. 9. & 10. Audiamus iam Isaiam vaticinantem de eo  
cap: 9. Paruulus enim natus est nobis, & Filius datus est nobis,  
& factus est principatus super humerum eius: & vocabitur no-  
men eius, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater æterni-  
tatis, Princeps pacis: Multiplicabitur eius imperium, & pacis  
non erit finis: Super solium David, & super regnum eius se-  
debit, ut confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia à  
modo vsq; in sempiternū: Zelus Dñi exercituum faciet hoc.  
Itē Cap: 11. vers. 1. 2. 3. 4. Et egredietur virga de radice Iesse.



& flos de radice eius ascendet: Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiae & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiae & pietatis: Et replebit eum Spiritus timoris Domini, non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in equitate pro mansuetis terrae: Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium: Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Testatur idem Ioannes Cap: 2. vers. 25. & 16. vers. 30. & 21. vers. 17. Et quia opus ei non erat, ut quis perhiberet testimonium de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. Item. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget, in hoc credimus quia à Deo existi: Hic optime lector vno compendio habes omnia, scientiam, & summam benevolentiam cum pace, & imperium nunquam finiendum. Quis iam quæso dubitabit huic Heroi supplex esse, quem Zelus Iehouæ, Domini inquam exercituum, in tantam sublimitatem euexit? Ad noui Testamenti testimonia veniamus, ut possimus cognoscere, omnia hæc in Christo ex virgine nato ad plenum impleta esse. Ioan: 1. vers. 14. Vidimus gloriam eius, gloriam (inquam) ut unigeniti à Patre, plenum gratia & veritate. Item vers. 16. Ex plenitudine eius accepimus omnes, & gratiam pro gratia. Itē vers. 18. Deum nemo vidit vnquam, unigenitus existens in sinu Patris ille enarrauit. Item vers. 32. Vidi Spiritum descendentem super eum de cælo, quasi columbam, & mansit super eum. Item vers. 49. Dicit Christus Nathanaëli: Priusquam te Philippus vocaret quum esses sub Ficu, videbam te. Ad quam vocem consternatus Nathanaël, respondet, Rabbi, Tu es filius Dei, Tu es ille Rex Israël. Item Cap: 3. vers. 34. Nam is quem misit Deus, verba Dei loquitur, non enim huic ad mensuram Deus dat Spiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit in manum eius. Consonant his quæ Matthæus habet Cap: 11. vers. 27. Omnia tradita sunt mihi à Patre meo, & nemo nouit filium nisi Pater, neque Patrem quisquam nouit nisi filius, & cuiuscunq; voluerit filius reuelare, Venite igitur ad me omnes



qui laboratis & estis onerati, & ego dabo vobis requiem, ac  
Inuenietis requiem animabus vestris. 28. 29. Item Ioan: 5.  
Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita & Filio dedit habere  
vitam in semetipso: Et potestatem dedit ei etiam iudicium ex-  
ercere quod filius hominis sit. Item Mat: 9. vers. 4. Videt  
cogitationes hostium suorum, quid in cordibus suis concipiant,  
easq; illis obijcit, neq; quisquam inficias ire potest rem aliter  
habere. Sic Ioan: 11. vers. 14. Lazarus amicus noster mor-  
tuus est, & gaudeo propter vos quod ibi non fuerim, sed eamus  
ad eum. Item. Cap: 13. vers, 3. Sciens IESUS quod omnia de-  
disset ei Pater ad manus, & quod à Deo prodierit, & ad Deū  
abiret, surgit à Cæna. &c. Et inter summos cruciatus cum in  
Cruce penderet, audi quid de illo Ioannes testetur Cap: 19.  
vers. 28. Posthæc sciens IESUS quod iam omnia perfecta essent,  
vt etiam scriptura impleretur aut perficeretur, est enim Τε-  
λειώθη, dixit, Sitio. Multa sciens & prudens prætereo, quæ  
à CHRISTO prædicta fuere, & omnia ita impleta sunt, vt nullus  
dubitationi restet locus, de toto regimine Ecclesiæ, persecu-  
tionibus, & restitutione prædicationis Euangelij: De pæna ho-  
stium: de vastatione & excidio Hierosolymorum, dirutione  
Templi, & quod iam domus Iudæorum deserenda esset à Deo,  
tum de signis aduentus sui: illa enim etiam pueris nota sunt cū  
sint obuia, adeoq; in cordibus hominum confirmata, vt nemo  
sana mente præditus illa in dubium vocet. Nempe quod iam  
per hæc testimonia satis euidenter probatum est, nihil eorum  
CHRISTUM latere posse, quæcunq; ad nostri curam pertinent:  
neq; id temerè. Illi enim Spiritus, gratiæ, veritatis plenitudi-  
nem dedit Pater: imò etiã deitatis plenitudinem vt in illo cor-  
poraliter inhabitaret, cum omnibus thesauris sapientiæ & sci-  
entiæ Dei. Excipiet adhuc aduersarius: omnia quidem quæ  
commemorata sunt CHRISTUM possedisse, & quod vsus illorum  
exercuerit, sed in diebus carnis suæ: nunc verò illum esse in  
quiete, quia cælorum habitaculo detineatur: Ac proinde ne-  
quaquam illi amplius curæ esse suam Ecclesiam, quam iam Pa-  
tri commendauerit, imò verò expectare aliud regnum, in quo  
cum suis regnet constituto tempore. Hæc verò sine fronte dici  
quis



quis non videt? Verum quidem est, quod CHRISTUS, quum iam  
iam moriturus esset, cum Patre multa loquutus, illi curam suo-  
rum Apostolorum tradiderit, postmodum & se Patri commē-  
dauit, vt in hoc mortis certamine palam declararet Pater,  
quam gloriam apud se illi parauerit. Quod etiam statim, vbi  
mortuus est CHRISTUS, in cruce satis euidenter apparuit, cum  
& cœlum obscuritate sua, & terra inusitato tremore, petræ  
fissione sua testata sunt. Consternatio item non solum populi,  
verum etiam Centurionis & militum, qui ad conspectum horum  
omnium fuere perculsi, erumperentq; in has voces, verè filius  
Dei fuit homo iste. Alij plangentes & percutientes pectora,  
in urbem redibant. Nam huic spectaculo hoc etiam accedebat,  
quod sepulchra certatim aperirentur, multiq; ex sepulchris  
virtute mortis CHRISTI excitati prodierunt, qui post resurre-  
ctionem Domini postea visi sunt Hierosolymis. Sed postquam  
CHRISTUS à mortuis victor & triumphator rediuius apparuit,  
non ne suorum illico curam recepit? an non manifestè & Ma-  
gdalenæ mandat & mulieribus, vt resumpto animo ex conster-  
natione, profectæ indicarent Apostolis, illum iam frustra quæ-  
rendum esse amplius viventem inter mortuos. Imò recordarē-  
tur sermonum eius, quos ab illo audierunt satis perspicuos, cū  
adhuc cum illis degeret in Galilææ territorio. Postmodum &  
presentia sua tum Emauntem euntibus, tum etiam illis vnde-  
cim, qui se intra conclaue, ob Iudæorum metum, continuerāt,  
idem ipsum confirmavit, manibus pedibusq; transfixis exhibitis,  
deniq; & lateris manifestatione. Etiam Thomam incredulum  
coëgit, vt fixuras clauorum perscrutaretur digitos imponen-  
do, & vulnus lancea inflitum, manu admota lateri. Sed om-  
nium maximum est, quod tot testimonijs iam confirmatos, per  
totos quadraginta dies, suos de Regno Dei instruit, postremo  
& in montem olearum eduçtos, nouis mandatis instruit, vt se-  
tantisper Hierosolymis contineant, quousq; virtute de cœlis in-  
duantur, hoc est Spiritum Sanctum acceperint, quo freti, in-  
trepidè de illius resurrectione testarentur, & predicarent no-  
mine illius poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes  
gentes, initio factò à Hierosolymis.



quis non videt? Verum quidem est, quod CHRISTUS, quum iam  
iam moriturus esset, cum Patre multa loquutus, illi curam suo-  
rum Apostolorum tradiderit, postmodum & se Patri commē-  
dauit, vt in hoc mortis certamine palam declararet Pater,  
quam gloriam apud se illi parauerit. Quod etiam statim, vbi  
mortuus est CHRISTUS, in cruce satis euidenter apparuit, cum  
& cælum obscuritate sua, & terra inusitato tremore, petræ  
fissione sua testata sunt. Consternatio item non solum populi,  
verum etiam Centurionis & militum, qui ad conspectum horum  
omnium fuerunt perculsi, erumperentque in has voces, verè filius  
Dei fuit homo iste. Alij plangentes & percutientes pectora,  
in urbem redibant. Nam huic spectaculo hoc etiam accedebat,  
quod sepulchra certatim aperirentur, multique ex sepulchris  
virtute mortis CHRISTI excitati prodierunt, qui post resurre-  
ctionem Domini postea visi sunt Hierosolymis. Sed postquam  
CHRISTUS à mortuis victor & triumphator rediuius apparuit,  
non ne suorum illico curam recepit? an non manifestè & Ma-  
gdalenæ mandat & mulieribus, vt resumpto animo ex conster-  
natione, profectæ indicarent Apostolis, illum iam frustra que-  
rendum esse amplius viuentem inter mortuos. Imò recordarē-  
tur sermonum eius, quos ab illo audierunt satis perspicuos, cū  
adhuc cum illis degeret in Galilææ territorio. Postmodum &  
præsentia sua tum Emauntem euntibus, tum etiam illis vnde-  
cim, qui se intra conclaue, ob Iudæorum metum, continuerāt,  
idem ipsum confirmavit, manibus pedibusque transfixis exhibitis,  
denique & lateris manifestatione. Etiam Thomam incredulum  
coëgit, vt fixuras clauorum perscrutaretur digitos imponen-  
do, & vulnus lancea inflictum, manu admota lateri. Sed om-  
nium maximum est, quod tot testimonijs iam confirmatos, per  
totos quadraginta dies, suos de Regno Dei instruit, postremo  
& in montem olearum eductos, nouis mandatis instruit, vt se-  
tantisper Hierosolymis contineant, quousque virtute de cælis in-  
duantur, hoc est Spiritum Sanctum acceperint, quo freti, in-  
trepidè de illius resurrectione testarentur, & prædicarent no-  
mine illius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes  
gentes, initio factò à Hierosolymis. Quæso igitur te, non est



hoc curare, dum regit, arguit incredulitatis suos, mandata dat,  
& instruit? Rursum Apostolos ipsos intueri, quomodo Domi-  
no obtemperent, per omniaq; illius dicto sint obedientes. Hie-  
rosolyma enim redeunt, ibiq; vnà cum matre Iesu, & alijs ho-  
nestissimis matronis, alijsq; fidelibus coniuncti & precantes, pro-  
missum Christi expectant. Imò ne testis desit, qui iude locum  
impleat, eligendum illi cœtui offerunt, vt per Spiritus Sancti  
inaugurationem huic muneri Apostolico destinaretur. Quid  
queso est à Christo pendere, si hoc non est? Certe hic Mini-  
sterium nemo in locum Christi supposuerit. Nondum enim il-  
lis eo fungi concessum est, nisi post donationem Spiritus Sancti.  
At quis obsecro misit Spiritum Sanctum? nonne Petrus hoc  
Iesu Nazareno vindicat qui crucifixus fuerat? cum sic ait.  
Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus accepta,  
effudit in nos quod videtis & auditis. Num obsecro hoc est qui-  
escere? Ceterum dabit fortasse & hoc aduersarius, totum hoc  
per manus Christi contigisse, at postquam in cœlis conuiuuit,  
dato alio paraclete à Patre, qui vices Christi impleat in eius  
ministeris, non posse demonstrari, quod nunc etiam idem præ-  
stet, agatq;. Certè hoc loco quis non miraretur insignem te-  
meritatem? Relinquitur ergo probandum & demonstrandum,  
quod Christus Dominus dato Spiritu Sancto quem à Patre  
accepit, non quiescat, sed habeat curam suorum, vt illos Spi-  
ritu suo sancto regat, virtuteq; sua protegat, ne quisq; possit è  
manu illius eripere, quos illi Pater dedit. Quod quia aduer-  
sarij Ministerio Apostolorum, & eorum qui hos sequuti sunt  
acceptum ferunt, & non Christo ipsi: videndum erit, vtrū Spi-  
ritu Sancto duce in veritatem ferantur. Commodum autem of-  
fert se nobis exemplum, quod Lucas describit Act: 3. vers. 12.  
vnde luculenter quisq; videre poterit, post illam donationem  
Spiritus Sancti, cuiam Apostoli acceptum ferunt totum illud,  
quicquid per eos gestum est. Petrus certè ita populo in Por-  
ticu Salomonis, de claudo qui sanatus fuerat, rationem reddit:  
Viri Izraelitæ, quid miramini super hoc, aut nos quid intue-  
mini, quasi propria virtute aut pietate fecerimus hunc ambu-  
lare? Hic modus loquendi, vim negationis habet. Dicit autem.

Deus



Deus Abraham & Isaac & Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos perdidistis & abnegastis in conspectu Pilati, quum ille iudicasset eum absoluendum. Et interiectis quibusdam, Per fidem in nomen ipsius, huc quem conspicitis ac nostis, confirmauit nomen ipsius: Fides inquam quæ per ipsum est, dedit isti integritatem hanc coram omnibus vobis. Item Cap: 4. vers. 33. Apostoli magna vi edebant testimonia resurrectionis domini Iesu, & gratia magna erat super eos omnes. Item Cap: 5. vers. 28. Pontifex maximus sic Petrum alloquitur, quem vnà cum alijs Apostolis carceri mandauerat, propter virtutes præstitas, quas etiam umbra Petri aduenientis efficiebat, sic exprobrat cum comminatione. Nonne etiã atq; etiam denũciauimus vobis ne doceretis in noĩe isto? & ecce repleuistis Hierusalem doctrina vestra, & vultis super nos inducere sanguinem HOMINIS huius. Quid verò Petrus & Apostoli respondent? Obedire oportet Deo (inquũit) magis quàm hominibus. Deus enim Patrum nostrorum excitauit Iesum, quem vos interfecistis suspensum in ligno. Hunc Deus dextera sua exaltatum Principem & seruatorem constituit, vt daret pœnitentiam Israëli, & remissionem peccatorum. Et nos sumus testes eorum quæ dicimus verborum: Præterea & Spiritus S. quem Deus Dedit ijs qui sunt persuasi de eo, seu qui obediunt ipsi. Hic vides pulcherrimam distinctionem & clarissimam demonstrationem imperij Domini nostri IESU Christi, quam efficaciam in illis exeruerit, qui nomini illius suẽre addicti, post illius à morte resurrectionẽ, addo & in cœlos ascensionem. Videsne num Petrus vnà cum reliquis Apostolis, fretus miraculorũ virtute, se pro Christo iactet? Cuius spiritus S. testificationem acceptã fert? nonne regi, qui à mortuis viuit? Sed & Stephanus moriens, cuius fide & spiritu erat plenus, vt tam crudelem mortem subiret? cuiusq; opera diductũ cœlum videt? & vnà gloriam Dei, nonne eius cui etiam spiritũ addicit, ac moriens vt datori vitæ tuto commendat? Sic cum Saulus anhelans ex minis & cæde sanctorum, num inscio Christo furit, aut à quo tandem corripitur? Sed in illa prostratione, cum querit quis in illo deturbando tanta luce vim suam exerat.

vides



vilet. Ego sum IESUS quem tu persequeris : Sed durum est de  
di ficile ut meos stimulos calce excipias. Repetit idem Ananias  
& dicit, IESUS qui tibi visus est in itinere. Cui cum se subiecisset,  
statim & CHRISTUM & filium Dei à baptismo prædicat. Hæc  
sunt illa ἀποδείξεις & luculentissimæ demonstrationes, quæ  
euincunt contra CHRISTI aduersarios, illosq; confundunt, Chri=  
stum scilicet à resurrectione non amplius morti esse obnoxium,  
sed viuere & regnare, ut sibi fidentes asserat. Nec desunt alia  
quoq; testimonia illius regiminis his consona, ut est videre Apoc:  
2. vers. 18. Hæc dicit filius Dei, qui habet oculos tanquã flam=  
mam ignis, & similes pedes chalcobibano. Noui opera tua &  
charitatem, & subministrationem & fidem, & tolerantiam tu=  
am, & opera tua, & vltima plura prioribus. Sed habeo aduer=  
sus te pauca, quod permittis mulierẽ Iezabel, quæ se dicit pro=  
phetissam, docere & seducere seruos meos, ut scortentur, & e=  
dant ex eis quæ simulacris immolantur: Et dedi illi tempus ut  
resipisceret à scortatione sua: & non resipuit: Ecce ego abijciã  
eam in lectum, & eos qui adulterium cõmittunt cum ea, in af=  
flictionem maximam, nisi resipuerint ab operibus suis: Et filios  
eius interficiam morte: Et scient omnes Ecclesiæ, me esse seru=  
torem renum & cordium: Et dabo unicuiq; secundum opera  
sua. Quid per Deum vafrities hominum hic efficiet? quo pacto  
testimonium hoc abolebit? Euicimus iam per Dei gratiã Chri=  
stum in cœlis ad dexteram maiestatis Dei constitutum nihil pe=  
nitus latere, quominus omnia videat & requirat, quæcunq; dex=  
trẽ vel perperam agant serui illius, aut si qui sunt, qui nomine  
eius quippiam patiantur. Quod etiam in nouissimo die, tam fi=  
delibus quam reprobis se in memoriam reuocaturum pollicitus  
est, & eo nomine vel premia vel penas, prout quisq; se gesserit,  
magna virtute & authoritate redditurum. Vti Math: ten=  
statur Cap, 25. vers. 34. & 41. De qua re pulcherrimas pa=  
rabolas apud eundem Euangelistam facile est videre. Nunc  
de voluntate CHRISTI, & ipsius propensissimo amore quædam  
dicenda sunt, ne etiam quis inducat in animum, illum à volun=  
tate paterna multum distare. Iam verò commodum se nobis of=  
fert Math: qui differens de quodam homine lepra percusso,  
sic



sic cum Domino colloquentem inducit. Cap: 8. vers. 2. Domine si vis potes me mundare: At Iesus extenta manu illum tetigit inquit: volo mundus esto. Item Ioannis Cap: 15. vers. 13. Maiorem charitatem hac nemo habet, vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Item Heb: 10. vers. 9. vt faciam o Deus voluntatem tuam. In quo vides per omnia Christum voluntati paternae, suam quoq; etiam in morte subeunda attemperasse. Rursum quid hac voce dulcius? Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, ἀναπαύσω, faciam vos quiescere. Tollite iugum meum super vos, & discite, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Item, ego cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum. Item, Ego pono animam meam vt iterum sumam eam: Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam, à me ipso: Potestatem habeo. Item Ioan. 17. vers. 19. Et pro eis sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati per veritatem. Excipiet Antagonista. Hæc omnia vera esse, quod Christus usq; ad finem suos dilexerit, quos ab initio dilexit. Caterum in morte omnem suam sollicitudinem de ouibus in Patrem reiecit. Sed bene habet quod nobis hæc concedit aduersarius, speramus. n. quod, cum id quod prius sit concedit, etiam quod posterius, daturus est. Nos verò etiam hoc perquiramus, qua spe fulciuerit animos suorum, ne ob eius carnalem discessum fatiscerent. Dicit itaq; Ioan: 14. vers. 1. Ne turbetur cor vestrum neq; formidet. Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei mansiones multe sunt, alioqui dixissem vobis, ab eo paraturus vobis locum. Et quum profectus fuero, ac parauero vobis locum, iterum veniam, & assumam vos ad meipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis. Eodem cap: vers. 16. Ego autem rogabo Patrem, & alium consolatorem dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum: Spiritum inquam veritatis quem mundus non potest capere. Et mox: Redibo ad vos non relinquam vos orphanos. En lector Christiane manifestè vides, quàm nihil nobis decessit, quod Christus à nobis recessit carne, ac presentia corporali, imò verò multum nobis commodi adfert, quod illum nostra causa, nostroq; nomine abiisse audimus, vt nobis locum paret, vt pro

C nobis



nobis intercedat, appareatq; conspectui Dei pro nobis. Rom: 8. vers. 34. Heb: 9. vers. 24. Et cap: 7. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus. Et quum de sacrificij eius præstantia differuisset, addit. Sermo iurisiurandi filiã constituit in æternum consummatũ. Sed exemplis adductis res fiet clarior, veniat ergo nobis in mentem repressio Saulis, dum Damascum proficiscitur, ut pios etiam illic affligat, quemadmodũ Hierosolymis in masculos & fœminas seuijt. A quo verò prostratus est Saulus, quis illius rabiei eripuit illam imbellem, & iam ob ipsius aduentum trepidantem fidelium manum? sicuti apud Christũ ipsummet Ananias lamentatur. At certè Christus totum hoc compressit. Illudq; quod suis pollicitus fuerat, re ipsa præstitit, nempe quod non est passus orphanos ab hoc Tyranno opprimi. Item in Apocalypsi cuius mandato Angelus mittitur ad septem Ecclesias, ut, quæ rectè facta sint confirmet, quæ verò deprauata sunt corrigat vnà cum illarum ministris, nonne filij hominis? Cæterum iam voluntatis amorisq; Christi, perspicua testimonia accepimus, quæ ab Isaia pulchrè confirmantur Cap: 53. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longeuum & voluntas Domini in manu eius dirigetur: Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur: In scientia sua aut cognitione sui, iustificabit ipse seruus meus iustus multos, & iniquitates eorũ ipse portabit. Sed eius farine testimonia passim sunt obuia. Restat vt de virtute & potentia Christi disseramus, diligentissimeq; excutiamus scripturas sacras, vt possimus cognoscere an Dominus noster Iesus Christus tanta sit præditus auctoritate vt præstare possit quod precibus ab illo pij efflagitauerint. Iam autem qua potestate vsus sit cum in terris ageret, infinita exempla palam docent, quæ diui Euangelistæ conscripserunt. Quid enim illius potestati non cessit? Annon ipsius imperio tot legiones demonum, summa cum vociferatione parere coacte sunt? Quid dicã de vento & tempestate maris, quæ omnia verbo compescuit, ita vt turbæ admiratæ dixerint, Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Rursum tot aegritudines, tot naturales defectus in  
homi



hominibus nonne imperio mandatoq; suo restituit? Quid mor-  
tui, an non ipso iubente reuixerunt? Neq; in hominibus solū  
restaurandis hac virtute vsus est, vt surdos fecerit audire, mu-  
tos loqui, claudos rectē incedere, & id genus planē infinita: ve-  
rum etiam in ipsis elementis, cum aquam in vinum vertit, ficū  
verbo increpationis arefacit, aquam pedibus Petri subiicit, vt  
super aquas ambulare possit: Et quæ non? Sed quod remitten-  
di peccata auctoritatem habeat, Spiritum Sanctum conferat,  
cor ardere facit, quæ iam sunt spirituales actiones, quibus ho-  
mines adducti, adorant, prosternuntur, inuocant intercedunt,  
quæ omnia tantum abest vt respuat, imò verò neminem abire  
absq; curatione patitur: alios verò nihil tale cogitantes vltro  
sanat. Quod autem non aliqua inducti opinione, aut rumore  
vano talia beneficia sint consequuti, responsa Christi docent:  
Fides tua te seruauit. Item Luca 7. vers. 9. Talem fidem in  
Israël non inueni. Item ò mulier, magna est fides tua, fiat tibi  
sicut vis. Item. Si possis credere, omnia sunt possibilis cre-  
denti. Contra verò cum esset in patria sua, vbi super eo offen-  
debantur, dicit scriptura, quod ibi non fecerit virtutes multas  
propter incredulitatem eorum. Sed omnium maximum signū  
est quod ipse præ alijs omnibus inculcat, signum inquam Ionæ  
Prophete. Quod vltro mortem obierat, & ex morte victor re-  
diuuius apparuit, palamq; triumphauit per semetipsum, de-  
uictis hostibus, peccato, morte, inferno, & Sathana: in quo e-  
tiam, q; fuerit auctoritas sua, iudeis demonstrauit, inquiring.  
Destruite Templum hoc, & in triduo reedificabo illud, hoc ve-  
rò dicebat de corpore suo, inquit Ioan: cap: 2. vers. 21. Atqui  
ne hoc quidem impugnabit aduersarius, immo verò victus te-  
stimonijs eidentibus Sacra scripturae vel inuitus concedet. Cæ-  
terum quod eadem potestate nunc quoq; Christus vtatur in  
cælis existens, nullo modo concedet, quæris causam? quia non  
videt talia signa nunc fieri, qualia cum in terris ageret Chri-  
stus fecit: ac proinde illi totum regnum, quantum in illo est  
adimit. Nos verò videamus quàm commodē omnia Christus  
dispensat. Cum enim in terris ageret, & à Scribis ac Phariseis  
accusaretur blasphemie, quod peccata remisisset homini: ait:



vt sciatis autem, quod filius hominis habet potestatem remittendi peccata in terra: tum dixit Paralytico, accipe lectum tuum & abi in domum tuam. Nunc verò cum ad Patrem per ascensionem abiturus esset, accersitis discipulis omnibus, inquit, Data mihi est omnis potestas in cœlo & in terra Matthæi ultimo. Et apud Marcum: Signa autem eos qui crediderint hæc consequentur: Per nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur novis: Serpentes tollent: & si quid lethale biberint, non nocebit eis: agrotis manus imponent, & benè habebunt. Dominus ergo postquam loquutus est, sursum receptus est in cœlum, & sedit ad dexteram Dei: illi verò egressi prædicaverunt ubiq; Domino vnà operante & sermonem confirmate per signa subsequente. Habes iam pulchrè delineatam potestatem in terris. Cuius rei exempla in Actis palàm sunt obuia, vbi ea omnia verificata cernere est, quæcunq; Christus virtutis & potestatis sue in terris pollicitus est testimonia. Proinde quicquid vsq; Apostoli fecerunt dixeruntue, id totum vni Christo acceptum ferunt. Audi Petrum cum Ioanne, cuinam sanationem claudi illius vendicat, num sibi? sed Petrus hoc pernegat inq; ens, Act: 3. vers. 12. Viri Israëlitæ quid admiramini super hoc, aut quid oculos intentos habetis in nos, quasi nostra potentia aut pietate effecerimus vt hic ambulet? quid igitur accidit mi Petre? Respondet. Deus Abraam & Isaac & Iacob, Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum IESUM, quem vos perdidistis, & abnegastis in conspectu Pilati, quum ille iudicasset absoluendum. Vos autem sanctum illum & iustum abnegastis, & postulastis homicidam donari vobis: Autorem verò vitæ trucidastis, quem DEUS excitavit à mortuis, cuius nos testes sumus. Sed vide quæso fructum huius glorificationis ex resurrectione, quem pulchrè Petrus inde elicit, inquit. Et per fidem in nomen ipsius, hunc quem videtis & noscitis, confirmavit NOMEN ipsius: Fides inquam quæ per ipsum est, dedit isti ὁλοκληρίαν τῶν ἰσθμῶν integritatem hanc, hoc est vt omnia membra integra haberet, corā omnibus vobis. Vide etiam Act: vers, 34. quomodo salutem Aeneæ, Lyddæ egrotanti adferat Petrus, ab octo annis in grabbato decumbenti, erat enim Pa-

rally



9  
ralyticus: ait enim. Aenea sanat te IESUS CHRISTUS, surge &  
sterne tibi ipsi: is autem statim surrexit. Vide iam Christiane  
lector quod Petrus sanationem & illius claudi, & huius Aeneae,  
non propriae virtuti aut pietati acceptam fert, nam per haec non  
facile Christi Ministerium fuisset commendatum: sed simpliciter  
IESU CHRISTO. Qua fronte itaque; imo quam proterve aduersa-  
rius asseret CHRISTUM nunc esse caelo inclusum & interceptum,  
ut iam ibi quiescat, neque ullam suorum curam habeat, tantum  
abest ut in illorum gratiam quicquam praestet, illisque bene esse  
velit? Sed hic contraria videmus. Queramus etiam ex alio Apo-  
stolo, Paulo inquam electo organo, unde illi tanta virtus, ut si-  
gna Apostolatus manifesta in se faceret. De hac re Romanis  
scribens, his verbis rationem reddit. Non enim auderem loqui  
quippiam eorum quae non effecerit CHRISTUS per me, in obe-  
dientiam gentium sermone & opere. In potentia signorum &  
prodigiorum, virtute Spiritus Dei. Et quae sequuntur Rom:  
15; vers. 18. Etiam Corinthiis minatur Cap: 13. vers. 3. Quan-  
doquidem experimentum queritis in me loquentis CHRISTI, qui  
erga vos non est infirmus, vivit tamen ex potentia Dei. Vbi et-  
iam capite superiori mentionem fecerat signorum, prodigio-  
rum, & virtutis in functione sua. Obsecro vero per Deum im-  
mortalem, cuiusnam potius fidem habebimus, Apostolisne, qui  
nihil tale de se praedicant, sed totam vim CHRISTO acceptam  
ferunt, sicut ab ipsomet CHRISTO fuerunt edocti? an vero istis  
hominibus, qui perspicua illorum testimonia suis cavillis perpe-  
tuo eludunt? Hoc autem totum accidit ideo, quod CHRISTUS af-  
futurum se suis est pollicitus usque ad seculi consummationem.  
Matthaei ultimo. Sic alio quoque loco Dominus ait: Sine me ni-  
hil potestis facere. Quomodo autem consonum fuerit, quod CHRIS-  
tus cum in terris ageret, sanctus Apostolatu apud Circumci-  
sos, in forma serui existens, & nondum esset glorificatus, om-  
nia sciret, ut non opus esset illi de homine interrogare, deinde  
ea voluntate & benevolentia praeditus, ut passim omnibus bene  
faceret: denique tantam virtutem exeruerit: Nunc vero acce-  
pta omnipotestate in caelo & in terra, euectusque in summum  
honorem, qualis nulli Angelorum contigit, gloria & honore a  
C 3 Deo



Deo insignitus, iudex viuorum constitutus item & mortuorum, regnum acceperit restitutionis causa omnium, omniaq; per illum sunt pacata in caelo & in terra, subiecitq; sibi Angelos, potestates, virtutes, deniq; qui potest sibi subijcere omnia: caput à DEO datus angelis & hominibus, ita vt etiam ex ipso omnis cognatio vel<sup>n</sup> affinitas in caelis & in terra denominaretur, vt omnes illius nomine censerentur: Nunc inquam tale regnum adeptus, quod transire neutiquam poterit, nihil penitus sciat, nulla illum cura suorum tangat, nihil deniq; cuiquam praestet. Nonne qui illum regem dicit, palam illi illudit, multò acerbius quàm illi milites Pilati, qui imposita spinea corona, regem illum Iudaeorum salutabant: nunc verò ne hanc quidem habeat? Proh impietatem & inauditam prioribus saeculis peruicaciam. Ceterum ista tam plana, tamq; perspicua, nondum etiam adamantinum pectus mouent, quin pergat adhuc Mandatum urgere. Hoc verò perinde est atq; cum Iudaei pendenti Christo subsannabant, vtq; de cruce descenderet vociferabantur, quasi tum demum illi credituri. Si enim de mandato constabit, minime hic conquiescet: sed exempla postulabit: Haec rursus si proferemus, iterum formam obijciet, sed ne his contentus quidem, quæret amplius. quænam bona aut beneficia petenda sunt, spiritualiane an corporalia, an verò vtraq; & hæc ubi demonstrata fuerint, excipiet. Sed cur non potius hæc à Patre petuntur, à quo omne datum optimum descendit? Ita miser pedetentim ex vno in aliud delabetur, donec simpliciter negauerit scripturis Sanctis habendam esse fidem, sicuti huiusmodi farinae hominibus hic etiam in Polonia accidit. Nos verò vnde potius incipiemus, vt tam acriter instanti aduersario respondere commodè possimus? Quæramus autem ab illis primis cultoribus Christi, qui illum adhuc in carne existentem adorabant, illiq; supplicabant, etiam pro alijs tum infirmis iamq; animam agentibus, tum etiam à demone oppressis intercedebat. O vos cultores Christi & adoratores candidi, qui summum in terris honorem Iesu Christo prestitistis, vt illum adoraretis, ac inuocaretis, adeste quæsumus, nosq; ex maxima anxietate quantum in vobis est eximite: Nunc enim honos Christi in du-

bium



hunc veritatem, quo illum nondum glorificatum profectum estis.  
Dicite nobis causam, qua audacia tantum facinus ausi estis ag-  
gredi, ut hunc honorem Christo homini & filio David asere-  
retis. Te primum appello Iaire, qui es princeps eorum, qui  
synagogam frequentant, & singulis diebus ex lectione legis au-  
diunt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias: cur  
posthabita legis diuinae doctrina ad pedes Christi pronus pro-  
sterneris, illique supplicas ut domum tuam ingressus filiam tuam  
morti eripiat. Ostende quo mandato hoc facis? cuius exemplum  
te mouet? a quo hunc modum didicisti? Dauidis progenie ad-  
orandi? Num te amor filiolarum ita transuersum abripuit, ut illius  
causa honorem Deo soli debitum ad alium transferas, in quo  
nullus splendor, nulla apparentia externi apparatus conspicitur?  
Tu quoque o foemina, quid tibi in mentem venit, ut auderes tale  
facinus, ex actu si nobile sperare tam diutinae in firmitatis  
salutem? quid vestis haec sanctitatis habet aut virtutis ut tantam  
spe de illa conciperes? Quid tu Regie Capernaithae? qui fit quod  
filiolum tuum iam animam agentem deseris, domoque egrederis,  
ut Christum requiras, ei que tutelam imo liberationem a morte  
tui filioli committas? Sed quorsum ex imbecilla plebe exempla  
sumemus, qui ne ipsi pro se respondere possunt, quamuis ex Is-  
raele sint oriundi, & in lege patria exercitatissimi? Nam si ad  
simplicem plebem, imo etiam Samaritanos addere libet & Cha-  
naneos, rumor de Messia venturo ita obtinuerat, ut non solum  
venturum Messiam scirent, sed etiam, quod omnes de cultu &  
via salutis instructurus fuerit: verum etiam (ut ex Chananea  
discere licet) catelli hoc est gentes ex fragmentis satianda esset.  
Quid de primoribus dicemus, & in lege exercitatissimis, Scribis  
inquam & Phariseis, qui Herodi quaerenti, ubinam locorum  
Christus nasceretur, maxima fiducia respondent: Illi in Beth-  
lehem, Iudaeae territorio nasciturum: Ex quibus nobis prodeat  
inter suos facile primus, qui etiam si ex Patre Phariseo esset  
oriundus, & supra coetaneos suos ad pedes Gamalielis in lege  
& maiorum institutis apprimè edoctus: praeterea etiam apud  
semetipsum constituerat aduersus nomen Iesu Nazareni multa  
contraria facere, tamen & se die medio, luce caelitus delapsa,

quae



17  
que splendorem solis superabat, ita fuit percussus suo maximo  
incommodo, ut statim se subijceret, & dominum agnoscens cū  
demissa subiectione, imperata se facturum pollicetur, neq; aliud  
habet, quid cause apud Agrippam Regē, & Festum præ-  
sidem, ceterosq; Iudeæ primates prætexat, quàm quòd nō po-  
tuit celesti visioni esse ἀπειθής, hoc est qui non cederet, tanq̃  
firmissime persuasioni Hic est ille Paulus, qui præter alios om-  
nes non solum vas electionis appellatus est, quippe in tertium  
Cœlum & Paradisum raptus, multa didicit, quæ nefas esset  
humano ore proloqui. Hic inquam, qui omnia se posse asserit  
propter Christum à quo confirmabatur. Hic deniq; qui plu-  
ries cum Domino IESU CHRISTO colloquutus, illum toties roga-  
uit, ut à stimulis Sathane liberari posset. Qui etiam supra  
omnes pro nomine eius patitur, & absq; vlla defatigatione la-  
borat. Quis iam tam impudens erit, ut cum Paulo summo iu-  
re agat, illi usq; factum dum CHRISTUM inuocat ad calculos re-  
uocet, ut rationem reddat facti sui, quod effuso pectore CHRI-  
STUM inuocet? De præcepto, de exemplis, de forma inuocationis  
secum agat? nisi velit suo malo contra stimulos calcitrare. &c.  
Hæc non ideo dicuntur quasi velimus in re tanti momenti ter-  
giuersari, aut nolle de plano respondere: Sed ut lector agno-  
scat, quàm faciles fuerint, Christo summum honorem exhibere,  
siue in terris degenti, siue quod adhuc maius est, ad dexteram  
Dei sedenti, qui ex hominibus primi CHRISTO nomen dare non  
detrectauerunt. At nos pro his omnibus vnum CHRISTUM au-  
diamus, qui nobis causam manifestè aperiat, quamobrem ab his  
cultoribus siue in terris agens, siue iam subuectus in cœlū, hunc  
honorem recipiat, quem non solum Petrus sibi à Cornelio non  
patitur exhiberi, sed ne angelus quidem Ioannem adorantem se  
ferre potest. Quid igitur dicit? Fides tua te seruauit. Magna  
est fides tua, fiat tibi sicut vis. Talem fidem in Israël non in-  
ueni. Item, si credere potes, omnia sunt possibilia credenti, &  
alia plurima quæ Euangelistæ habent. Sed ne hic quidem mens  
conquiescere potest, nisi quo fulciatur habeat. Iā & hoc CHRI-  
STUS non reticet, cum ait. Opera quæ ego facio nomine Patris  
mei, illa inquam opera de me testimonium reddunt, quod me

Pater



Pater miserit: Et si mihi credere non vultis, operibus credite.  
Hæc itaq; opera maioris momenti esse, quàm testimonium io-  
annis, quo nullus maior inter natos mulierum surrexit, ipse  
CHRISTUS testatus est, vti Ioannes Euangelista clarissimè docet,  
Cap: 5. vers. 36. Duo itaq; à Christo audimus, quæ vim mæn-  
dati habent, fidem nimirum & opera, quæ nomine Patris sui  
cœlestis faciebat. Si itaq; nos quoq; hanc fidem consequemur,  
& operibus, qualia nunq; quisquam ante Christi aduentum fe-  
cit cedemus, quis merito de nobis conqueri poterit, quasi qui  
diuinam maiestatem laeserimus, quod Christum in carne ado-  
rare cum tanta nube testium ausi fuerimus, imò verò, quem iã  
scimus potitum esse cœlo, & regnare oportere, accepta summa  
à Deo in cœlo & in terra potestate? iam mandata proferamus.  
Audimus ergo Deum ipsum Patrem clementissimum, qui nobis  
& ad Iordanem & in monte Tabor filium suum dilectissimum  
manifestat, ac sic ait vnà cum visibili signo Spiritus Sancti de-  
missi de cœlo, qui & mansit super eum. **Hic est filius meus di-**  
**lectus in quo mihi complacuit, hunc audite.** Confer iam cum  
testimonio Moysis: qui hunc Prophetam non audierit, ego vlti-  
or existam: Ego enim, inquit Iehoua, ponam verba mea in  
ore eius. Qui itaq; Christum recipit, nonne Patrem ipsum qui  
est Deus omnis creature, & omnium Dominus, recipit? Omnis  
iam authoritas inuocationis Domini nostri Iesu Christi, ex  
ore ipsius pendet. At hic quem sibi honorem fieri vult? Audi  
Prophetas de eo vaticinantes, qui promissiones à Deo Israël  
factas interpretantur. Isaias certè sic habet Cap: 11. vers. 10.  
Erit radix Iesse, illa quæ stat in signum populorum, ipsam gē-  
tes requirent, אֲשֶׁר יִשְׁכְּנוּ. textus hebreus habet. Quid autem  
per hanc quærendi vocē scripturæ sanctæ significant, vltra sex-  
centos locos, quibus liber Psalmorum est ubiq; refertissimus, v-  
nus Isaiæ locus nobis satisfaciet. Sic enim habet Cap: 55. vers.  
6. & 7. quærite dominum dum inueniri potest, inuocate eū  
dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus  
cogitationes suas, ac conuertatur ad Dominum & miserebitur  
eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendū.  
Et ipse Christus Matt: 7. vers. 7. 8. Petite & dabitur vobis:

D                      que-



29  
querite et inuenietis, pulsate et aperietur vobis. Quisquis enim petit accipit, et qui querit inuenit, et pulsanti aperietur. Et haec est causa cur Habacuc Prophetes, Messiam vocat desideratum cunctis gentibus. Huc confert quod Apostolus ex psalmo 97. vers. 7. Ebraeis scribens adducit: Et adorent eum omnes angelis eius: Audiuit et letata est Sion: Et exultauerunt filiae Iudae propter iudicia tua Domine. Vbi vides ita mandari angelis Messiae adorationem, ut etiam Sion cultus hic magnam letitiam adferat. Queris causam? In promptu est: Quia scilicet Caput est et fidelium et angelorum. Ideoque etiam gaudium est in caelis coram angelis Dei, super vno peccatore penitente. Denique secundum dictum Christi, nos oportere ad instar angelorum refringi, quam iustam autem causam habeant huius cultus, Paulus manifestauit Col: 1. vers. 20. Dicit enim ita Deo esse adhibitum, ut in Christo habitaret omnis plenitudo utque per sanguinem crucis eius stabiliret pacem, et per eum res conciliaret omnia sibi, per eum inquam, tum quae in terra, tum quae in caelis, quibus consona Ephesinus quoque scribit Apostolus cap: 1. vers 10. vocatque hoc ipsum Misterium voluntatis suae. Lege insuper eisdem Epistolae cap: 3. integrum, ubi inter caetera huius quoque Misterij meminit: praecipue vero: vers. 10. ut nota nunc fiat per Ecclesiam imperij ac potestatibus quae in caelis sunt, multiformis sapientia Dei. Habes iam lector Christiane, dulcissime sympathiae descriptionem inter angelos et fideles, quae illis intercedit coadunatis sub vnum caput: Christus inquam Dominum. Quis iam inficias ibit, quod Angelis dictum est, et illi alacres praestant, ad fideles nequaquam peruenire? accedunt enim illi, ministrant ei. Quod in nativitate ipsius, temptationibus à Sathana immissis, morte, resurrectione, et in caelum ascensione satis manifeste apparuit. Immo etiam venienti in iudicium frequentes aderunt. Illos enim Messiores futuros Christus dixit, tum Zyzania ad exurendum, tum Tritici ut in Horreum aeterni gaudij colligatur. Matt: 13. Nos vero hanc ei operam impendere detrectabimus? ò ingratitude. Sed Noui Testamenti thesauros perquiramus, num aliquid in illis continetur quod huc faciat? Praesto autem adest Christus, qui



qui amicissima voce nos compellat, Venite, inquit, omnes  
ad me qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, tolli-  
te iugum meum super vos, & discite à me, quod mitis sim &  
humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum  
enim meum suauis est, & onus meum leue. Matt: 11. vers. 28.  
Quomodo autem nunc illum quaeremus, vt & vaticinio Pro-  
phetae & Christi mandato credere moremque gerere possimus,  
ipse Christus pulcherrime hoc enucleat. Ioan: 7. vers. 37.  
Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me sicut dicit  
scriptura flumina de ventre eius fluent aquae viuae. Quid autem  
fides parit, annon inuocationem? vt ait Paulus Rom: 10. vers.  
14. Quomodo autem inuocabunt eum in quem non crediderunt?  
Vnde liquido constat, qui Christum non inuocant, ne credere  
quidem in illum, quicquid de fide in Christum & illius notitia  
blaterent. At videamus paulisper causam istius tanti cultus &  
honoris, de qua nobis Christus abunde disserit. Ioan: 6. vers.  
22. & 23. Non enim Pater iudicat quenquam, sed omne iu-  
diciu[m] dedit filio, vt omnes honorent filium, quemadmodum  
honorant & Patrem. Et adhuc dubitabimus hunc honorem Chri-  
sto habere, quem scimus nobis esse constitutum iudicem, vt nos  
e cauernis sepulchrorum nostrorum voce sua excitatos, ita glo-  
rificet, similesque reddat corpori suo glorioso, vbi virtute sua  
transformauerit, qua sibi omnia subijcere potest: denique in pos-  
sionem regni, quod nobis apud Deum paratum est in caelis,  
vt regni illius haeres perducatur. Iam verò qui honorem hunc non  
praestat filio Dei, verum etiam, quantum in illo positum est sum-  
ma contentione eripit, cui quaeso se opponit, nonne Deo, in  
quem tota haec iniuria recidit, Ioanne ipso Apostolo & Euan-  
gelista teste, qui sic sermonem concludit: Qui non honorat fi-  
lium non honorat Patrem qui misit eum? Tantum itaque abest,  
quod aduersarij urgent, vt Deo debitus honor eripiatur, ideo  
quod Christum Dominum & seruatores nostrum inuocamus,  
Imò verò qui honorem hunc Christo non exhibent, ne DEVM  
quoque honore afficere. 2. Ioan: 2. vers. 23. Qui enim negat fi-  
lium, nec Patrem habet. Habes iam Lector Christiane manda-  
tum expressum, habes vaticinia Prophetarum, habes etiã alia



23  
pulcherrima testimonia Christi, quæ vim mandati habent, habes premium Ioan: 12. vers. 26. Si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater, habes & pœnam. Ioan: 8, 49. 50. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, vos aut̃ contumelia affecistis me, ἀτιμᾶζετε με, hoc est non exhibetis mihi honorem. Ego verò non quero gloriam meam, est qui querat & iudicet. Quis iam totus non cohorrescat ad tam severam comminationem, quam denunciât Christus hostibus honoris sui? quem rursus non alliciant tã dulcia promissa Christi, qui à Patre honorandos fore pollicetur omnes quicumq; illi seruiuerint? & tamen sunt quos ista non mouent de quibus quid porrò sentiendum, præstat potius silentio inuoluere, imò vt ad se redeant, ardentè pro illis precari. Profertur etiam à plerisq; testimonium de Inuocatione Christi, ex Ioannis capite. 14. vers. 12. 13. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad Patrem proficiscor. Et quicquid petieritis in nomine meo ego faciam. Locus profecto obseruatione dignus. Primum enim fidem proponit, eiusq; virtutem declarat, fidem inquã in Christum: Deinde ex fide inuocationem vt ex fonte legitimo producit: vt etiam ex Paulo habuimus. Postmodum Inuocationis certitudinem, ne fides in precationibus vacillet, ait enim: Ego faciam. Hoc enim honori, esse Patri vt in filio glorificetur: Nam non est quod quis miretur, Deum facere quacumq; vult in cœlo & in terra, Psalmista teste quodq; voluntatem timentium se faciat. Ceterum cum hic humilis Christus, qui cruci affixus fuerat, quiq; in terris degens, vbi caput suum reponeret non habebat, nunc regno potitus tantum præstet, quod ab ipso fideles petere ausi fuerint: Hoc verò est quod merito quemlibet in admirationem, imò & stuporem adducat. Sicut & Petrus omnem vim concionis suæ huc reuocat, vt quem nuper damnatum ad crucem egerunt, nunc dextera Dei exaltatum, cœlorum regem cum pœnitentia & fide agnoscant, qui potestatem habeat & remittere peccata, & spiritus donis ornare, quicumq; nomini suo per sacrum Baptisma accensi fuerint. Nec caruit successu eius contentio. Ita enim fuere in corde percussi, vt ab

Aposto



23  
pulcherrima testimonia Christi, quæ vim mandati habent, habes premium Ioan: 12. vers. 26. Si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater, habes & pœnam. Ioan: 8, 49. 50. Ego demonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, vos autem contumelia affecistis me, ἀτιμάσατέ με, hoc est non exhibetis mihi honorem. Ego verò non quero gloriam meam, est qui querat & iudicet. Quis iam totus non cohorrescat ad tam severam comminationem, quam denunciât Christus hostibus honoris sui? quem rursus non alliciant tã dulcia promissa Christi, qui à Patre honorandos fore pòllicetur omnes quicumq; illi seruerint? & tamen sunt quos ista non mouent de quibus quid porrò sentiendum, præstat potius silentio inuoluere, imò vt ad se redeant, ardentè pro illis precari. Profertur etiam à plerisq; testimonium de Inuocatione Christi, ex Ioannis capite. 14. vers. 12. 13. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad Patrem proficiscor. Et quicquid petieritis in nomine meo ego faciam. Locus profecto obseruatione dignus. Primum enim fidem proponit, eiusq; virtutem declarat, fidem inquã in Christum: Deinde ex fide inuocationem vt ex fonte legitimo producit: vt etiam ex Paulo habuimus. Postmodum Inuocationis certitudinem, ne fides in precationibus vacillet, ait enim: Ego faciam. Hoc enim honori, esse Patri vt in filio glorificetur: Nam non est quod quis miretur, Deum facere quacumq; vult in cœlo & in terra, Psalmista teste quodq; voluntatem timens tium se faciat. Cæterum cum hic humilis Christus, qui cruci affixus fuerat, quiq; in terris degens, vbi caput suum reponeret non habebat, nunc regno potitus tantum præstet, quod ab ipso fideles petere ausi fuerint: Hoc verò est quod merito quemlibet in admirationem, imò & stuporem adducat. Sicut & Petrus omnem vim concionis suæ huc reuocat, vt quem nuper damnatum ad crucem egerunt, nunc dextera Dei exaltatum, cœlorum regem cum pœnitentia & fide agnoscant, qui potestatem habeat & remittere peccata, & spiritus donis ornare, quicumq; nomini suo per sacrum Baptisma accensi fuerint. Nec caruit successu eius contentio. Ita enim fuere in corde perculsi, vt ab

Aposto



Apostolis consilium peterent, & qui libenter susceperunt sermonem, accesserunt Ecclesiae ad tria milia hominum. Ut autem promissio Christi maiorem auctoritatem apud nos obtineat, cum asseueratione interposito iuramento confirmat: Amen amen. Ceterum sunt qui varie locum exponant, quidam enim Inuocationem hanc ad Patrem referri debere contendunt sub nomine Christi, quod Christus dicat, Quia ad Patrem vado: Alij simpliciter de ipsius solius Christi inuocatione verba fieri asserunt. Quod tamen videmus vtrumque aduersarium negare: Sed quicquid est, hinc tamen manifeste colligitur, Christum tantum habere auctoritatis, ut quicquid ab illo petierimus vel ipsius nomine à Patre, totum illud prestare possit, ideoque etiam repetit Ego faciam. Et ne quem haec Phrasis moueat, in nomine meo petieritis, quomodo nam sit accipienda: vide librum Psalmorum: Psal: 54. vers. 1. iuxta computationem Iudeorum. Deus in nomine tuo saluum me fac. Et alibi dicit simpliciter, Saluum me fac Deus, quoniam defecit sanctus. Vnde vides, nomen, secundum scripturae sensum pro eo ipso sumi, cuius est nomen. Sic Psal: 116. vers. 4. In nomine Iehouae inuocabo id est, Iehouam. Item Ioel: 3. vers. 5. Et erit, qui inuocauerit in nomine Iehouae, euadet. Hebraice יְהוָה Sic à veteri interprete acceptum locum fuisse hinc apparet, quod habeat additum, me. Si quid petieritis me in nomine meo, ego faciam. Ita sperare in nomen Iehouae Isa: 50. vers. 10. Est sperare in ipsum Iehouam. Ita credere in nomen filij Dei. 1. Ioan: 5. vers. 13. Est in ipsum filium Dei credere. Exempla autem inuocationis, qua conscientia quaeue fronte aduersarius à nobis requiret? Cui nemini ignota sint, qui vel à limine Euangelistarum volumina salutauerunt. Quis enim ab illo praeter inuocationem & fidem aliquod beneficium accepit? acceperunt autem plane infinita: Ipso Christo attestante: Ioan: 10. Multa bona opera ostendi vobis à Patre meo, propter quod illorum me lapidibus obructis? Nos tamen pauca de multis eligemus. Cum illi duo caeci, de quibus Matt: 9. vers. 29. Christo acclamant. Misere nostri fili David. Quid quaeeso faciunt? inuocantne Christum aut quid aliud agunt? Sed Christus fundamentum in illis requirit, an cre-



29  
dant ipsum hoc facere posse: cum de fide testati sunt, tetigit  
oculos eorum, & sanati sunt. Item. cap: 15. vers. 22. Quum  
describit Chananeum post Christum currentem ac clamantē:  
Miserere mei Domine fili David, filia mea male à Dæmono ve=  
xatur, Cumq; repulsam passa iterum instat, ac suæ fidei ra=  
tionem explicat, postremo audit. O mulier magna est fides  
tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata fuit filia eius eadē hora. Item  
leprosi decem, vti apud Lucam scriptum legitur, cum con=  
specto IESU procul stetissent, et voce sublata dicunt: O IESU  
præceptor, miserere nostri: Nonne sic vociferando illi sunt sup=  
plices, cumq; inuocant, referuntq; voti sui premium & fructū,  
sanationem inquam. Item Apostoli cum iam Christum vidiſſet  
sublatum in cœlum, ac in cœlum oculis intentis starent stupe=  
facti, à duobus Angelis de facto illo certiores redditi, absq; vllō  
mandato Christum adorant, ac sic demum Hierosolymam re=  
uertuntur. Sic Apocalypsis 22. vers. 17. vt tandem vno verbo  
concludam, Et spiritus & sponsa id est Ecclesia, dicunt, veni  
veni & vers. 20. Etiam veni Domine IESU. Cæterum ne locum  
cauillandi relinquamus, Exempla tantum volumus valere, quæ  
ex fide verbi & agnitione potentie miraculorum Christi, de=  
niq; cognitione voluntatis Dei & Christi constant. Addo etiam  
contestante hoc ipsum in conscientijs nostris Spiritu Sancto, à  
quo & fides & inuocatio legitimè diriguntur: Alioquin non  
quæuis exempla etiam in Sanctis sunt amplexanda, siue Patri=  
archas obijcias, siue Prophetas siue Apostolos. Singuli enim  
habuerūt suos nauos, quandiu hic in terra degerent. Vt Isaias  
testatur, cap: 53. Omnes nos sicut oves errauimus, vniuiusq;  
in viam suam. Item Iacobus, cap: 2. In pluribus labimur om=  
nes David adulter, Petrus simulationis notatur. At exempla  
quæ ex fide profluxerunt sicut de illis Christus testimoniam  
perhibet, quorum etiam i. gentem Catalogum recenset Apo=  
stolus ad Ebræos, de illis nullum relinquitur dubium, quin à  
Deo sint profecta: & quantum fidei nostræ Christianæ interest,  
merito pro regula à quibulibet pietatis studiosis habenda: ma=  
ximè, si ad normam Christi, qui vnicum est nobis sanctitatis  
veræ exemplar, redigantur, iuxta trutinam doctrinæ Christi ad=  
hibita.



hibita. Proinde nos quoque promissionibus Dei in lege & Prophe-  
tis palam extantibus fulti, tum etiam testimonijs noui testa-  
menti, postquam à Deo CHRISTUS exhibitus est mundo, hunc ho-  
norem CHRISTO non dubitamus vendicare, maxima cordis &  
conscientiæ nostræ consolatione & gaudio. Ne verò silentio  
inuoluamus quæ aduersarius tantopere vrget, tū de forma ipsa  
precandi CHRISTUM, tum etiam de ratione bonorum, pro qui-  
bus illi supplicandum esset, proinde sic statuimus. Quandoqui-  
dem CHRISTO demandata sit potestas cœli & terræ omnis, idque  
à Deo, merito illi supplicandum esse, cum pro terrenis, tum  
pro cœlestibus beneficijs. Et quemadmodum absens corpore,  
Aeneam sanauit Paralyticum, Paulum prius cecitate percussū,  
rursus squamis deductis pristinae sanitati restituit: Centu-  
rionis seruum abentem sanat, vt non opus haberet domum il-  
lius ingredi, etiam reuente Centurione; Eandem potentiam  
in Iairi filiola sananda conspicuam facit. Idem CHRISTUS pec-  
cata remittit, fidem in Apostolis auget, in alijs etiam incredu-  
litati succurrit: sensum mentis aperit, & dat intellectu scrip-  
turarum: dat os & sapientiam: in persequutione suos prote-  
git, & ne de manu sua, ipsius ouicula eripi possent in æternum,  
prohibet: Patrem reuelat: notitia sui, seruos suos iustificat:  
ponit in Ministerium: gratiam confert: suis perpetuo adest,  
singulis diebus inquam vsque ad consummationem seculi: Carnem  
suam dat ad manducandum, propriumque sanguinem quem in  
remissionem peccatorum nostrorum moriens in cruce effudit,  
bibendum fidelibus gratis propinat: Apostolos eligit, dat &  
emittit, quos etiam virtute ex alto instruit, dato effusoque Spi-  
ritu Sancto: Dat salutem corpori Ecclesiæ: Et vt in pauca  
redigam, dat credentibus sibi vitam æternam. Confirmantur  
hæc suis dulcissimis promissis. Quisquis reliquerit domos, aut  
fratres, aut sorores, aut Patrem, aut Matrem, aut vxorem,  
aut liberos, aut agros, causa nominis mei, centuplum accipiet  
( Marcus addit ) in hoc seculo vel tempore cum persequutione,  
& in seculo venturo vitam æternam: aut vt Matthæus: vitam  
æternam hereditate possidebit. Hinc iam exilibet pio, licebit  
discere, quæ beneficia à CHRISTO peti debeant, quæ etiam for-



nam vltro elicient. His iam adde ueluti Colophonem, quæ ad-  
27  
pud Danielē extant de regno Messie: Cap: 7. vers. 13. Aspi-  
ciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi  
FILIVS HOMINIS veniebat, & usq; ad antiquum dierū per-  
uenit: Et in conspectu eius obtulerunt eum: Et dedit ei potestatem  
& honorem, & regnum: Et omnes populi, tribus & lingue  
ipsi seruient. Potestas eius, potestas æterna quæ non auferetur,  
& regnum eius, quod non corrumpetur. Quod autem Daniel  
de regno & potestate eius disserit, quod nunq̄ auferetur: Idem  
Apostolus ad Ebræos de Sacerdotio eius concionatur, & dicit  
illum Sacerdotium habere ἀπαράβατον, quod nequaquam cur-  
sum suum interrumpet, transireq; in alium minimè poterit.  
Tanti etiam ponderis sunt sermones eius qui non præteribunt,  
etiam si Cœlum & terra transibit. Matt: 24. vers. 35. Hanc  
autem vim, etiam num ipse filius Dei de cœlo mentibus suorum  
indere solet suis, sine quo alioquin nihil ipsi præstando simus.  
28  
Ioan: 15. vers. 5. Quod etiam pulcherrima similitudine co-  
gnoscendum in eodem versiculo proponit, inquit. Ego sum  
vitis vos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fru-  
ctum multum: nam sine me nihil poteritis facere. Item Luca  
21. vers. 14. 15. Habete igitur fixum in cordibus vestris, ne  
premeditemini ut vos defendatis ἀπολογησθεύσθαι, quod fit dum  
per sermonem facti nostri rationem reddimus: Ego enim, ait  
Dominus daturus sum vobis os & sapientiam, cui resistere non  
poterunt omnes, quicumq; se vobis opponent. Et Paulum iam in  
cœlis existens sic peculiariter firmat: Act: 26. vers. 15. & de-  
inceps. Ego sum IESUS Nazarenus quem tu persequeris. Sed  
exurge & sta in pedes tuos. Idcirco enim apparui tibi, ut de-  
signarem te ministrum ac testem, tum eorum quæ vidisti, tum  
eorum in quibus apparebo tibi: Eruens te ex hoc populo & gē-  
tibus ad quas nunc te mitto: ut aperias oculos eorum, & se  
conuertant à tenebris ad lucem, & à potestate Sathane ad De-  
um, ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos  
accipiant per fidem quæ est in me. Mox verò de sua obedientia  
(qui prius hostis fuerat) ad eum modum testatur. Vnde, Rex  
Agrippa, nō fui rebellis cœlesti visioni: & reliqua. Nō debemus  
itaq;



itaq; moueri aduersariorum insolentia, qui nobis hæc tam clara testimonia è manibus extorquere volūt, ne credamus Christum tangi cura suorum, vt aut illos defendat, & è gentium furore eripiat, aut credentibus præsto adsit. Imo verò ita statuamus, Christum præesse Ministerio, non quemadmodū Philosophiæ studiosi Autoritati Platonis aut Aristotelis se subiiciunt, & in suorum præceptorum verba iurant, aut quod Iacobus in confesſu Apostolorum de Mose testatur. Act: 15. vers. 21. Moses enim ab ætatibus antiquis, in singulis ciuitatibus, habet, inquit, qui ipsum prædicent, quum in Synagogis per singula Sabbata legatur. Eadem apud Paulum legere est. 2. Cor: 3. vbi multa de præstantia ministerij sui loquutus, Sic tandem infert: Et non, sicut Moses imponebat velamen faciei suæ, ne intuerentur filij Israël in finem eius qui aboletur. Itaq; occalluerunt mentes illorum: Nam vsq; ad diem hodiernum, in lectione veteris Testamenti manet, subaudi illud ipsum velamē, nec vllō modo retegendum, quod per Christum tantum aboletur. Sed ad hunc vsq; diem, quum legitur Moses, velamen cordi illorum est impositum. Postquam autem conuersi fuerint ad Dominum, tolletur velamen. Nota autem est loquutio figurata, cum inuentor per re inuenta sumitur, & liber pro ipso auctore. At non sic didicimus Christum vt illum mortuis conferre velimus, tantum abest vt viuentem inter cadauera mortuorum requiramus: Credimus enim illum à mortuis resurrexisse, & dextera Dei exaltatum regnare oportere, illumq; dare dona in hominibus: omniaq; portare potenti suo verbo. Illi ergo nos adiungimus per fidem Euangelij: Cum illo sepelimur in mortem per legitimam Baptismi administrationem, ita vt per veram regenerationem, resurrectionis suæ reddamur participes, vt iam à peccato manu missi, iustitiæ, imo verò Deo viuamus, qui nos in regnum filij sui transtulit, Satane ereptos. Hic deniq; est Christus Iesus, qui nos carne sua, quæ verè est cibus, dum panis, qui in cæna frangitur participamus, faciat, ac reficit, suiq; sancti cruoris potu, cum ex poculo noui Testamenti in commune bibimus, ita potat, vt ad vitam æternam obtinendam sufficienter instruat. Cæterum aduersarius premit alium

E

corde



corde dolorem, nec palam fateri audet, se minime credere, quod  
CHRISTUS solutus doloribus mortis, è Sepulchro victor Sathanæ  
& membrorum eius extiterit, tantum abest vt firmiter credat,  
in cœlum palam subuectum, dextera Dei potitum, quæ profe-  
cto non quietem, sed robur & potentiam Dei in scripturis  
sanctis significat, vt ex pluribus locis veteris & Noui Fæderis  
aliâs Testamenti constat. At nos qui credimus Dominum no-  
strum, peccatorum nostrorum causa mortuum, resurrexisse à  
morte, non solum vt nos iustificet, verum etiam vt nos à Patre  
constituto tempore, voce sua excitet, ac sic in regnum cœleste  
perducat, vbi nos ad integritatem resinxerit. Credimus etiam  
nostro nomine illuc abiisse, vt nobis in tam multis mansionibus  
Patris sui, locum parat, certoq; statuimus, imo etiam sentimus,  
& in nobis ipsis experimur, ipsum omnino regnare ita in cœ-  
lis, vt eius nomine non solum non dubitemus ipsius nomine cen-  
seri, verum etiam parati per illius spiritum, quiduis eius causa  
perpeti: Ac Proinde adhortationem Pauli libenter amplecti-  
mur, qui nos mortificatis membris terrestribus iubet superna  
querere: Et causam addit: vbi CHRISTUS est ad dexteram Pa-  
tris sedens: nequaquam id ausurus, si nobis CHRISTUS nulli vsui  
esse possit. Addit etiam: Si resurrexistis cum CHRISTO, hoc ni-  
mirum innuens, neminem posse hac mente affici, nisi qui resur-  
rectionis Christi iam fuerit per veram ac non simulatam rege-  
nerationem particeps. Obijciat autem aduersarius adhuc, Si  
res ad eum modum se habeat, necessario sequi, duos esse qui re-  
gnent, & summa rerum potiantur in cœlis, id quod scripturæ  
sanctæ prohibent: Deinde iuriam esse, vt recta ad antiquum die-  
rum nos conuertamus, illiq; supplicemus, quàm vt ei nos com-  
mittamus, qui nuper nouis honoribus à Deo auctus fuerit: Cuius  
etiam num potentia & robur nondum sint conspicua. Huic qd  
responderi commodè possit, vt aduersarij os obturetur per o-  
portune se nobis offert, quod CHRISTUS ipse de suis hostibus &  
desertoribus testatum reliquit, Luc: 19. vers. 12. Vbi sub si-  
militudine hominis in longinquam regionem proficiscentis, qui  
bona sua seruis committit, vt tantisper dum ille abest vt regnū  
accipiat, Ministri eius negocientur donec ipse veniat, nos de  
suo



suo ad Patrem discessu clarius edocet. Nam & seruorum suorū  
qualis esse debeat sedulitas, in lucro acquirendo; & quæ futuræ  
essent hostium machinationes, omnium præsciis aperit, ac sic  
ait. Ciues autem eius oderant eum, miseruntq; legationē post  
eum, dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Sed quid tã-  
dem ciuibus eueniet? Postq̃ serui huius regis, negociationis suæ  
rationem reddiderint, hanc de hostibus sententiam profert:  
Quinetiam meos illos inimicos, qui me supra se regnare nolue-  
rant adducite huc & ingulate coram me. Hac tam eleganti  
hypotyposi, quàm graphicè regimen suum Christus delineauit.  
Etenim quisq; luce clarius videt, quænam sit Regni Christi ra-  
tio, quamuis à nobis discessit ad Patrem, cœloq; contineatur.  
Non enim vt se tradat quieti, hinc abiit, degatue in otio, quod  
pleriq; stulte somniant: Sed vt accipiat regnum, ac postmodū  
redeat in negocia seruorum, & hostium machinationes inqui-  
siturus. Interea tamen serui operi adhibent manum, negocia  
exequuntur, & iussa peragunt, certi, dominum regno super  
ipsos potiri: quibus etiam, quam gratiam sit habiturus, exem-  
plo declarat. At non solum certiores reddit, quid post suum  
discessum sit futurum, qui conatus perfidorum ciuium: Verum-  
etiam, quæ sua sit conditio apud colonos vineæ, quam illis pa-  
ter familias locauerat. Dicit enim ipsum fuisse spretum ab eis,  
qui sibi ius & imperium vendicabant in vineam: Et seruorum  
alios ceciderunt, alios trucidarunt, alios lapidauerunt: Nec  
proluit quamuis & secundò alios miserit plures prioribus, vt  
fructum annuum ab agricolis repetant: Deniq; filium unicum  
mittit, hac fiducia adductus & persuasus, utiq; reuerentur  
filium meum: at illi conspecto filio conclamant, En ipsum hæ-  
redem, accurrite, adhibeamus illi manus violentas, atq; penitus  
extinguamus, vt vineæ possessio nobis cedat. Veniunt itaq; pa-  
tris familias filium captum extra vineam ducunt, illumq; sup-  
plicio afficiunt. At videamus quid tandem homicidis illis eue-  
niet? Malos, inquit ipsi aduersarij, male perdet & vineam  
suam alijs agricolis elocabit, qui temporibus suis fructum patris  
familias reddant. En quid profuerit renunciare imperio Chri-  
sto, aut illius præsentiam non reuereri, imo etiam illi machinari



necem. Non enim aliter etiamnum à suis perfidis civibus re-  
spuitur, proditur, ac crucifigitur, veluti parabola ista liquidò  
demonstrant, quàm cum à iuda traditus esset, & à suis ut cru-  
cifigeretur postulatus, cum horrenda denunciatione, non habe-  
mus regem, nisi Casarem. Item, sanguis eius super nos, & su-  
per filios nostros. Cur enim tantopere regnum domini nostri  
IESU CHRISTI impugnatur à tanta colluie hominum, non tantum  
eorum qui illum contemptis verbis proscindunt, palamq; bla-  
spemant: verum etiam subiecti alterius potestati, & excusso  
iugo doctrinae suae, & vero usu sacramentorum eius, ac legiti-  
mo cultu, quiduis audent, imò etiam cum hominum inuentio-  
nes & placita sequuntur, non dubitant ipsum prætendere, ac  
si mandato eius hæc omnia faciant? Possemus autem multis ex-  
emplis ex scripturis sanctis petitis rem adhuc planius explicare:  
Sicuti videmus Iosephum à Pharaone ita euectum ad regni ad-  
ministrationem & domus regie, ut ad illius oris imperium cun-  
ctus populus obediat, nec sibi quicquam reliquit præter regni  
solum: Gen: 41. vers. 40. Idem Danieli à Nabuchodonozare  
etiam cum adoratione oblatum fuisse, vide Danielis cap: 2.  
vers. 46. & 47. Ceterum & in ipso Deo huius rei manife-  
stissimum exemplum habemus, qui in Decalogo clare prædicat  
se populum suum eduxisse ex Aegypto, de domo servorum: Et  
tamen in hac eductione perficienda usus est Mosis opera: ut  
Exodus & alij veteris testamenti libri manifestè testantur. Etiam  
Stephanus Act: 7. vers. 37. Hunc Moysen quem abnegauerant  
dicentes: Quis te constituit Principem & iudicem? Hunc inq;  
Deus Principem & Redemptorem misit ductu Angeli, qui vi-  
sus illi fuerat in nube: Et hoc est in quo Moses probrum tulit  
CHRISTI: Heb: 11. vers. 26. Illam enim hoc typo retulit. Quid  
dicam de legis donatione, in quo non solum opera Mosis usus  
est tanquam mediatoris, sed etiam angelorum: Act: 7. vers.  
38. Gal: 7. 19. Quid iam impediet ne Deus ipse habeat emi-  
nentiam supra filium, quamvis illi omnem in celo & in terra  
concessit. Sicut etiam non tollit dominium viri supra mulierem  
ne caput illius sit, quia sint per Dei conjunctionem una caro. Aut  
quid obstat quominus CHRISTUS sit caput nostrum imò etiam an-  
gelo



gclorum, quia sumus caro de carne eius, & ossa ex ossibus eius, imo vnus cum illo spiritus, & tamen ille nos regit, & dat salutem corpori suo id est Ecclesie. Ad eundem modum non tollitur eminentia Patris, & maioritas ipso Christo teste, quin Pater & caput sit Christi & Deus, quia vnum sint, omniaq; quaecunq; Pater habet, filij sint quoq; & contra. Ac de nobis ipsis quid dicemus, cur opera nostra in promulganda doctrina Euangelij Deus ipse vtitur, cum tamen Deus legem nouam in cordibus suorum se scripturum sit pollicitus? Atqui tenendum est ita complacuisse Patri, vt saluaret credentes: Matt: 11. vers. 26. ideoq; Christus ait sibi tradita esse à Patre omnia: Item Paulus Coloss: 1. vers. 13. & deinceps. Ille est caput Corporis Ecclesie, Principium, & primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse  $\omega\pi\sigma\tau\epsilon\upsilon\omega\upsilon$  id est, primas gerens: Et addit causam: Quoniam in eo placuit Patri omnem plenitudinem inhabitare, & pace per sanguinem crucis eius facta, per eum reconciliare omnia sibi, per eum inquam, tum quæ in terra, tum quæ in cælis. Id quod etiam prædicatum est vniuersæ creaturæ, quæ sub cælo est per Euangelium, cuius se Ministrum esse Paulus, id sibi maxime laudi ducit.

Habetis fratres obseruandi doctrine nostræ declarationem, & fidei confessionem, qua non solum ad inuocandum Filiū Dei dominum nostrum Iesum Christum cogimur, sed etiam ardentissimo cordis affectu, ac spiritus exultatione vltro accedimus: certi, quod qui pro nobis mortem atrocissimam ex beneplacito Patris sustinuit, ac victor à morte triumphabundus existens, se in cælum contulit, ac dextra Dei coronatus, talem potestatem accepit, vt non solum suos fideles tueri, illisq; omnia tam spiritualia quàm corporalia largiri possit, quia verbo virtutis suæ omnia sustineat: Sed etiam in hostes suos animaduertat, antequam dies ille supplicij æterni adueniat. Quod ex multis scripturæ locis constat. ps: 2. vers. 9. Apoc: 2: vers. 21. 23. Et alia prorsus infinita. Nunc ratio tractatuli postulat, vt scriptum Francisci, huic nostræ professioni per omnia contrarium exequiamur. Sed quorsum tantus labor impendendus est, cum se ipsemet conucllat? Si enim scripturæ sã



De testimonijs non abuteretur, ac manifestè corrumpere, esset  
non iniusta ratio, adhibita censura quicquid analogiæ fidei nõ  
concederet, claris testimonijs verbi Dei illud conuellere. Verum  
quia scripturas clarissimas magna licentia deprauando tantum  
effecit, vt nemo sanæ mentis ( quicumq; sit Deum metuens, ac  
sciat qua pietate scripta prophetica sint tractanda, quæ non  
voluntate hominis allata sunt nobis, sed Spiritu Sancto impulsi  
loquuti sint sancti Dei homines ) fidem illi habere velit ac  
possit. Quid porro nobis relinquatur, quàm aliquot locis pro=  
ductis, quibus palam vim facit, reliqua candido & Christiano  
lectori iudicanda commendemus? Primus locus est ex Actis  
Apostolorum cap: 7. vers. 59. Domine IESU suscipe spiritum  
meum. Hanc scripturam mirabili commento deprauat, vt in=  
uocationem Domini nostri IESU CHRISTI quoquomodo labefa=  
ctet. Sic enim inuertit, non ad IESUM CHRISTUM dirigi hanc  
precaionem, sed ad Deum Patrem, quia sic IESU dominus.  
Quis enim non miretur tantam temeritatem, imò impudentiã?  
Addit etiam, quamuis vt sonant verba & simul in eodem casu  
ponantur hæc due voces, Domine IESU, vt hæc vox posterior nõ  
sit genitiui, sed vocatiui, vti etiam prior, Domine, Nihilõ=  
minus ad Patrem referendam esse, quia in scripturis sanctis,  
Deus Pater, dictus sit etiam seruator, quod vox hæc Ebræa si=  
gnificat IESVS. Ac probationis vice adfert, quod nunq; in  
scripturis sine aliquo attributo sit positum nomen IESV: sem=  
per verò ad illi solere, aliquod horum, nempe, vel CHRISTUS, vel  
filius David, vel præceptor, aut aliquid eiusmodi: Difficile aut  
est dictu, an insentiam hominis docti deplorare debeamus, an  
verò maliciam arguere, cum in re tam manifesta, addere licet  
tam sancta ita cauillari sibi permittit. Sed vile quo ferat æstus  
contentionis, quod sanè omnibus pijs metuendum est, ne dum  
nimis dant operam vt sint contentiosi, Ecclesie Dei usum amit=  
tant, & id esse cogantur, quod minimè putant, nempe extor=  
res à cætu CHRISTI. ~~Quis enim vel hoc coloris habet, quod Do=  
mine IESU, sit substantiuum nomen cum substantiuo genitiuo~~  
casu iunctum, ita enim necesse est repuerascere propter ambi=  
ciosam hominum intemperiam. Aut qua vnq; hunc modum lo=  
quen



quendi in scripturis sanctis obseruauit, quod Deus Pater vspiam  
dictus sit Dominus IESU. vel quæ possit esse ratio tam manifesti  
cauilli, Deum Patrem dici IESUM, quia sit saluator: Et quod  
ultimo loco ponit, quod nomen IESU nusquam in scripturis sine  
aliquo attributo ponatur: quid quæso est cornicum oculos fi-  
gere, & in luce clarissima obducere tenebras, si hoc non est?  
Sed locus vnus totum hoc vanum esse conuincet. Apoc: 22.  
vers 20. Etiam veni Domine IESU. Quin & ipsa circumstan-  
tia loci dextrè excussa rem planam faciet. De IESU enim Na-  
zarenno certamen fuisse Stephano, cum Scholasticis Hierosoly-  
mitanis Lucas manifestè scribit Act: 6. vers. 14. his verbis.  
Audiuimus enim eum quum diceret, IESUM istum Nazarenum  
destructurum hunc locum, & mutaturum ritus quos tradidit  
nobis Moses, vnde constat Stephanum accusatum esse, quod es-  
set Christi præco, CHRISTUMq; predicaret. At ille facta pul-  
cherrima anagoge, à promissione facta Abrahe, in quo semi-  
narium populi sui electi constituit Deus: & Reipub, cuius ipse  
Rex esset, regimen describit sub quo detinerentur vsque quo  
veniret semen, cui promissum fuerat. Ostenditq; non se impu-  
gnare Deum quod CHRISTUM predicet, nam & Prophetas suos  
fuisse præcones probat, ipsiusq; causa fuisse trucidatos omnes,  
quicumq; aduentum illius predicarent. Ac reiecto crimine in  
accusatores totumq; confessum: quia Spiritui Sancto semper  
restitissent, vt Patres illorum ita & ipsi: Et addit: quem enim  
Prophetarum non sunt persecuti &c. Ac concludit illos esse,  
qui mensuram patrum suorum expleant, seq; Christi præco-  
nem dent neci, quemadmodum alios quoq; illius causa occide-  
runt Prophetas. At Stephanus qua fiducia CHRISTUM predicaf-  
set, deniq; declarat cum moriens, Spiritum domino IESU, vt  
animarum nostrarum curator, tuto committit. Vt autem cer-  
tum sit illius preces non fuisse irritas, discipulo cæli, & gloriæ  
Dei conspectus ipsiusq; IESU, hoc est filij hominis assistentia  
Dei dextræ, quam fortiter probant. Vnde obiter notandum  
ex Stephani defensione, ab ipsa promissione facta Abrahe, sem-  
per fuisse, qui Christi aduentum predicarent in Israël, neq;  
tamen receptos fuisse: Nunc quoq; mirum non esse, quod non



recidit quod de salutationibus Pauli scribit, probari non posse,  
 Ecclesijs precatum fuisse gratiam Christi: Sed gratiam DEI,  
 Patris Christi, id est à Deo qui sit Christi Pater. Ludit aut  
 in constructione vocũ, utroq; enim modo accipi potest, Χάρις  
 ὑμῶν ἀπὸ θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, ἢ χάρις Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quia enim  
 Græci ablatiuo in vniuersum carent, sed genitiuo aut datiuo  
 illius vsum explent, fit vt genitiui casus significatio, ambigui-  
 tatem pariat, cum modo pro eo vt est, in propria significatio-  
 ne sumatur, modo pro ablatiuo. At quid dicet de hac saluta-  
 tione, qua (nulla facta mentione Patris) sub calce literarum,  
 sic à solo Christo gratiam precatur, ἢ χάρις τοῦ κυρίου ἡμῶν  
 Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν? Quod etiam signum esse vult  
 suarum Epistolarum, ac subscriptionem proprie manus. At qui  
 hoc eludit, adducto testimonio Pauli, quum sic Corinthijs  
 subscribit, 1. Cor: 16. ἢ ἀγάπη καὶ μετὰ πάντων ὑμῶν ἐν  
 Χριστῷ Ἰησοῦ. Quasi verò gratia sit idem quod dilectio: Deinde  
 cum addit in Christo Iesu, omnem ambiguitatem tollit. Hunc  
 enim loquendi modum alibi sic resoluit. Est veritas Christi in  
 me quod hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus  
 Achaie. Quamobrem? An quia vos non diligam? &c. Cete-  
 rum quomodo labefactabitur testimonium, 2. Ioan: vers. 3.  
 Sit vobiscum gratia, misericordia, pax, à Deo Patre, & à  
 Domino Iesu Christo filio Patris in veritate & charitate. Hic  
 habes παρὰ θεοῦ πατρὸς, ἢ παρὰ κυρίου Ἰησοῦ &c. Vides quã-  
 tum damnum adferat, si iudex non sit iustitiae custos, sed calū-  
 niator? De Potestate quam Pater dedit filio in cælo & in ter-  
 ra, quomodo tumultuatur tergiversando, non est quod multis  
 declaremus, aut illius strophas redarguamus, sunt enim adeò  
 aperte, vt non solùm lippi & tonsores primo intuitu illas de-  
 prehendant, verumetiam pueri in trivio ludentes. Præterea  
 iam satis à nobis de hac re in principio demonstratum est, vt  
 nunc argumentationibus non amplius sit locus. Cum enim di-  
 stinguit inter potestatem & inuocationem, mirum est quòd  
 inuocationem absq; facultate prestandi quæ petuntur excludit.  
 Ceterum nisi nos potentia Dei fulciret in nostris precibus, læ-  
 etiam Christi Iesu, Deum immortalem quàm subito nostra



vota euanescerent? Contra verò nos ideo inuocamus Deum,  
postmodum & Christum, quod sciamus Deum esse omnipoten-  
tem, qui cuncta quæ vult faciat in cœlo & in terra. Quam e-  
tiam potestatem Christo Iesu datam esse omnem, videmus.  
Eandem rationem habet quod de cura gerenda philosophatur:  
quis enim illum vel coactus inuocauerit, cui se & sua minimè  
curæ esse cognouerit? Sed piget singula ad vnguem refecare,  
quum se ipsa falsa esse prodant. Verum ex loco, quem Deuter:  
31. habemus, liquido constabit, illum ita in contorquendis &  
euertendis scripturis sine fronte & conscientia timoris Dei lu-  
dere, ac si in libris Luciani de veris narrationibus versaretur.  
Sed locum ipsum inspiciamus: Sic enim vetus interpres habet  
vers. 23. Præcepitq; Dominus iosue filio Nun, & ait, Con-  
fortare & esto robustus: tu enim introduces filios Israël in ter-  
ram quam pollicitus sum, & ego ero tecum. Aduersarius aut  
detorquet dictum, ego ero tecum. Quasi Moses semper affu-  
turus esset Iehosue etiamsi moreretur. Inde inferre studet,  
Christum quoq; ita affuturum suis, quemadmodum Moses Ie-  
hosue adfuerit. In quo ambiguitate loci, & mutatione perso-  
narum turpiter abutitur, vt quod cupit, euincat. Quãuis aut  
eo loci sit diuersa lectio, & apud Hebræos, & in græca ver-  
sione, & in latina veteris interpretis: Tamen in eodem versu  
id quod præcedit arguit non Moses esse promissionem, Ego ero  
tecum, sed Dei. Nam de terræ promissione illum adhortatur:  
Iam verò an Moses pollicitus est daturum se Israëlitis terram  
illam, in quam ne ipse quidem ingressus est sed tantum eminus  
conspexit in superficie montis præalti à Domino constitutus?  
Ad hæc quæ præcedunt in eodem capite, quibus Moses adhor-  
tatus est populum, rem explanant. Sic enim ait. vers. 7. 8.  
vocauitq; Moses Iehosuam & dixit ei coram omni Israël: Cō-  
fortare estoq; robustus: tu enim introduces populum istum in  
terram, quam daturum se Patribus eorum iurauit Dominus, &  
tu eam sorte diuides. Et Dominus qui ductor est vester, ipse e-  
rit tecum: non dimittet, nec derelinquet te: noli timere nec  
paucas. Tria itaq; testimonium hoc in se continet. Primo quod  
Deus terram Canaan daturum se Israëlitis pollicitus est: Secūdo

F

quod



quod ipse futurus sit Dux eorum, deniq; ita se perpetuo affu-  
turum, vt non neceſſe habeant à quoquam ſibi metueri. Iam  
verò quid hæc ad Moſen? Qui cum in ſummis anguſtijs eſſet po-  
ſitus, quod ab ipſo populus carnes poſceret: ſic dominum allo-  
quitur. Cur afflixisti ſeruum tuum? Quare non inuenio gra-  
tiam coram te? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius  
ſuper me? Nunquid ego concepi vniuerſam hanc multitudinẽ,  
vel genui eam, vt dicas mihi, Porta eos in ſiuu tuo, ſicut por-  
tare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, Pro qua iu-  
raſti Patribus eorum? vnde mihi carnes vt dem tantæ multitu-  
dini? Fient contra me dicentes, da nobis carnes vt comedamus.  
Non poſſum ſolus ſuſtinere tantam multitudinem, quia grauis  
eſt mihi. Sin aliter tibi videtur, obſecro vt interficias me, &  
inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Hinc  
iam colligere licet, num illa mens fuerit Moſis, ſuam Ieſuæ  
polliceri affuturam, vbi mortuus eſſet, præſentiam, qui con-  
queritur, tantam multitudinem ſibi oneri fuiſſe, adeoq; mo-  
leſtam, vt ſibi mortem potius eligeret, quàm vt ipſi præſectura  
poſſit eſſe cordi. Cæterum ipſum adhuc Ieſuam audire libet,  
vt ex ipſius ore nobis conſtet, quemnam ſibi præſentem fuiſſe,  
dum populum in terram Canaan induceret, teſtetur: deniq; in  
expulſione illarum gentium, & terræ illius per ſortes diuiſione.  
Ieſue. cap: 1. vers 1. ac deinceps: Et factum eſt poſt mortẽ  
Moſis ſerui domini, vt loqueretur dominus ad Ieſue filiũ Nun,  
miniſtrum Moſis, & diceret ei. Moſes ſeruus meus mortuus eſt:  
Surge & tranſi Iordanem iſtum, tu & omnis populus tecum in  
terram quam ego dabo filijs Iſraël: & vers. 5. Nullus poterit  
vobis reſiſtere cunctis diebus vitæ tuæ, ſicut fui cum Moÿſe, ita  
ero tecum, non dimittam te, neq; derelinquam te. En liquidò  
apparet ex ipſiuſmet oris teſtimonio, quis cum ipſo Ieſua fue-  
rit, Deumne an Moÿſes. Hæc ſatis fuerit, vel digito ſaltem in-  
dicare, vt de alijs allegationibus & complicationibus ſcripturæ,  
minimeq; veris explicationibus, iudicium lector cordatus facere  
poſſit. Sunt enim pleraq; omnia, parum contorta, & à vero  
ac genuino ſenſu ſcripturæ adeo aliena, vt potius contrarium  
quid ex illis eliciatur, quam verè ſignificent: parum etiam ita

bla-



blasphema, ut totus homo cohorrescat, quicumque virtutis ac redemtionis Christi & ipsius gloriæ vel tantillum particeps fuerit. Atque utinam neque nos, neque vos audire, legere, & cognoscere coacti fuisset talia, profecto non parum nobis voluptatis attulisset, si questio hæc adeo contentiose & acriter pertractata, inuoluta fuisset in perpetuum altumque silentium: certe melius consultum fuisset nostris & vestris Ecclesijs. Quomodo enim poterit negocium hoc intra domesticos parietes componi, quod in tam longinquas oras, non tantum rumore vulgi, sed scriptis etiam, à diuersarum professionum hominibus emanauit? Etenim præter scripta hæc, quæ nobis vnâ cum adiunctis literis à vobis contigerunt, aliunde quoque de progressu totius causa accepimus, quæ ita per omnia consentiunt, quasi ex composito scripta fuissent. Precamur autem Deum illum Patrem misericordiarum, & Deum omnis consolationis, qui cum sit autor pacis, & eos quoque pro filijs agnoscat, qui sunt εἰρηνοῦχοι, ut nos ab huiusmodi questioibus curiosis, quæ infinita plaustra, imo etiam plenas naues scandalorum secum trahunt, eripiat: Detque nobis vobiscum pariter eam mentem, ut quæ ad pacem sunt Hierusalem, quæque sunt edificationis propria, curemus: Illa verò quæ fidelium mentes labefactant, & offendiculum struant infirmis, denique etiam Ecclesijs Christi dissolutionem ac dissipationem minantur, pro misericordia sua procul amoueat, illudque concedat propitius, ut cultui suo in perpetuum destinati, sanctimonie vitæ maximè studeamus, innocentiam ardentissime vnâ cum amore nostri mutuo expetamus, illudque curemus, ut ijs, qui adhuc à veritate Euangelij sunt alieni, nostro exemplo inuidentur, ut illud merito de nobis dici possit, Ita luceat lux vestra, ut homines videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum, qui est in cælis.

Quod reliquum est fratres in Domino dilecti, monitos vos, Primum velimus, ac per Dominum obsecramus, ut integras partes Ministerij Euangelij, motis omnibus in usum reuocare studeatis: ne quid à vobis merito desiderari possit, & hic & in die iudicij. Alterum est ut in hoc vestras omnes cogitationes conuertatis, caueatisque omnino, ne vi gladij secularis, aut vestræ



fidei professionem tueri velitis, aut diuersa sentientium impu-  
gnare punireq; Memores illius dicti domini IESU. Deniq;  
quod vultis vt faciant vobis homines, eadem quoq; facite illis.  
Qua in re vt Spiritus CHRISTI & non Mosis vobis adsit, vosq;  
regat, vnice precamur. Præterea si quid spei esse possit reli-  
quum, D. Francisco libenter vellemus esse autores, vt cogi-  
taret nemini vnq; benè cessisse, quicumq; se CHRISTO opposuit,  
in qua re vel vnus ille Apostata Iulianus, tamet si fuerit impe-  
rator, exemplo esse potest, vt Iudæorum cladem prætereamus,  
de qua nequaquam se erigere tanto tempore possunt. Item  
euerfionem clarissimarum, & potentissimarum gentium, ur-  
biumq; munitissimarum, quibus etiam restat grauius iudicium  
in consummatione seculi. postremo à vobis omnibus petimus, vt  
laborem operamq; nostram, gratis animis amplectamini, quæ  
vtinam vobis, & omnibus veris CHRISTI amatoribus, imo etiam  
cultoribus maximo vsui esse possit. Et si quid acrius vspsian-  
dictum est, non incesfendi libidini, sed potius dolori, qui nobis  
identidem redibat ex lectione istorum scriptorum, imputate:  
Deniq; vt viros candidos decet, in bonam partem sumatis, &  
interpretemini. Quod si hoc studium nostrum gratum vobis ac-  
cidet, ita vt etiam nostra opera in posterum vti volueritis, in  
perpetuum nos vestra beneuolentia obstringetis. Orate pro  
nobis fratres, quod etiam nos pro vobis & facimus, & porro  
facturi sumus, vt cursum Evangelici Ministerij in vobis nomi-  
ni suo, Pastorum Princeps dominus noster IESUS CHRISTVS  
cōsecrare, stabilireq; in perpetuas æternitates dignetur. Amen.  
Data in Synodo communi Ministrorum & hospitem Ecclesie  
Belzicze. Die 24. Augusti. Anno redemptionis nostre.  
1579. Vestri omnium obseruantis.

Alexander Vitrelinus  
omnium Ministrorum  
nominis.



# LOCI ALIQVOT INSIGNES, EX SCRIPTVRIS SANCTIS pro vera & solida IESV CHRITI inuo- catione afferenda candidè deprompti.

**Q**uamuis Poloni fratres, copiose satis ac diligenter omnia, quæ ad presentem hanc controuersiam dirimendâ spectabant, vt quidem fieri in tam breui potuit opere, complexi sunt & persecuti: Tamen cū non quiuisset subito legere longius illud responsum possit, nec rudioribus capiendi & assequendi omnia facultas concessa sit, placuit locos aliquot noui fœderis illustres, in quibus IESU CHRITI inuocatio, eiuq; officia, postquam cœlos hinc abiens petijt, lucidissimè atq; breuissimè demonstrantur, per Excellentiss. D. Georgium Blandratam collectos, sententiæ Polonorum è limpidis scripturis desumptæ in calce adijcere. Ac primum quidem lector amice, illud tibi considerandum hic est, ex vnica ista de non inuocando CHRISTO, vt loquuntur aduersarij, quæstione plurimas alias, tanquam ex equo quodam Troiano, sequi & nasci absurdissimas opiniones. Namq; omnes illi, qui à CHRISTO nihil nos petere vel temporalium, vel spiritualium bonorum hoc tempore posse: ideoq; ne inuocandum quidem illum esse contendunt, manifestè, si proficiat, quod res ipsa est intuearis, præcipua Christianæ nostræ religionis fundamenta negant, euertunt atq; conuellunt. Primum enim IESUM CHRISTUM, posteaquam in cœlos assumptus est, nostrum mediatorem, Regem, Pontificem & aduocatum esse non posse, nec omnino vllum nobis cum eo cōmercium, donec veniat, futurum, apertissimè, si premantur & vrgeantur, fateri cogentur. Secundo, Negabunt Deum Patrem in CHRISTO salutem Eccl. siæ fundasse. Tertio, Tueri cogentur, homines absq; vlla cognitione CHRISTI, & absq; efficacia mortis eius saluari posse. Quarto, Deum Patrem per seipsum, aut per



*Spiritum Sanctum, non autem per Christum filium inuocandum esse, ac proinde nos aditum habere posse ad Patrem absque mediatore Christo, eo quod sedeat nunc Christus ad dexteram Dei, id est, otietur & quiescat. Quinto, Quod Christus Iesus omnem potestatem in caelo & in terra ea conditione accepit, ut illam nunc non exerceat: ideoque exponendum esse praesens pro futuro, dum ait, Data est mihi omnes potestas, id est, dabitur. Et illud Ioan: Aduocatum habemus apud Patrem, id est, habuimus tempore carnis Christi. Sexto, Eundem hunc Iesum sedere ad dexteram Dei, id est, otuari & quiescere, & nullo plane fungi officio, nullamque potestatem exerere, aut exercere hoc tempore posse. Septimo, Quod ex praecedentibus necessario sequitur, fateri velint nolint debebunt Iesum a Nazareth in caelis existentem, nunc non esse Christum, eo quod Christi duntaxat illi dicantur, qui Reges sunt, Pontifices, aut Iudices, Iesus vero omnibus officijs illis nunc careat, iuxta noua Francisci dogmata: Quid multus? Summa coniurationis aduersariorum fuerat, ut Christo eiusque Euangelio sepulto, ad Mosen, ad legem, & ad circumcisionem omnes redirent Christiani. Ad extremum ne illud quidem praetermittendum est, Franciscum expresse fateri, Iesum Christum tempore quidem carnis suae inuocatum & adoratum fuisse, nunc vero si quis illum inuocet Deo Patri ignominiam, & grauem omnino fieri iniuriam. Quod quid sit expende queso tecum, pie lector. Quasi vero non idem fuerit firmissimum praecipuum dum Christus ueretur in terris, de vno Deo inuocando, & illi soli seruiendo. Oportebat hic aduersarios causam reddere, cur Christus in terris mortalis adhuc & abiectus existens, maiorem habuerit honorem & potentiam, quam nunc exaltatus, & ad dexteram Patris supra omnes caelos, omnemque principatum euectus. Sed iam locos ipsos clarissimos inspiciamus.*

#### EX EVANGELISTIS.

I. Primus locus est Matth. 18. vers. 20. cum Christus ipse sic loquitur, Vbi enim fuerint duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.

Secun



II. Secundus est Matth. ultimo, vers. 20. cum ait. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

III. Marci ultimo, vers. ultimo. Illi verò egressi prædicauerunt ubiq;. Domino vnà operante, & sermonem confirmante per signa subsequenta.

IIII. Lucæ 21. vers. 15. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt contradicere, neq; resistere omnes qui se opponent vobis. Hic obserua lector amice, si Christus post ascensum in cælos nec regnat, nec quicquam agit, quorsum at-  
tinebat dicere, Ero vobiscum, sum in medio eorum, & dabo vobis os & sapientiam? Interpretentur igitur aduersarij locos istos, inuoluantq; seipsos in ministerio doctrinæ, vt videamus & intelligamus quam solidis vtantur coniecturis.

#### EX ACTIS APOSTOLORVM.

V. Quintus locus est de missione Spiritus S. super Apostolos, quemadmodum ipse Christus, dum adhuc viueret prædixerat. Vado, inquit, paraturus vobis locum, & rursus veniam. Et non relinquam vos orphanos, redibo ad vos. Et cap: 15. vers. 26. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus ille veritatis &c. Expende lector optime, an hanc Spiritus S. missionem ad doctrinæ ministeriū aduersarij commodè referre possint. Deinde iudicent æqui homines, an Christus postquam ascendit otia-  
tus sit, & quæ euerit penitus. Tertio cogitent cur promittit se ad nos rediturū, seq; facturum, si quid petierimus Patrem nomine suo. Demū animaduertant, an Spiritus ille S. quem misit de cælis Christus, fuerit doctrina, an verò miraculorum patratorum, prophetiæ & linguarum peculiare donum, & an hæc dona sub doctrinæ ministerio contineri possint. Cum à Paulo 1. Cor. 14. manifestè distinguantur.

VI. Sextus locus est Act: 3. 4. & alibi sæpius, cum Apostoli dicunt, In nomine Iesu Christi Nazareni surgi & ambula. Et sanat te Iesus Aenea. Item. Per fiduciam Christi hic sanus factus est. Et, Fides, quæ per eum est, dedit ei integritatē.

Vide



Vide quaeso, si quid egerit **CHRISTUS** per **Apostolos**, postquam ascendit in **Coelum**.

**VII.** Act: 7. Vbi **Stephanus** videt caelos apertos, & **CHRISTUM** sedentem à dexteris **Dei** quem inuocat dicens, **Dñe IESU** suscipe spiritum meum. Vtcunq; hinc se torqueant aduersarij, nunquam euincunt **Stephanum** Patrem sub nomine **IESU**, aut sub nomine **Domini**, quemadmodum magna contentione homines perridiculi facere conantur inuocasse.

**VIII.** Act: 18. vers. 9, Dixit autem **Dominus** nocte per visionem **Paulo**, ne time sed loquere: Nam ego tecum sum, & nemo te inuadet.

**IX.** Act: 19. vers. 13, Tentarunt verò quidam ex circulatoribus **iudeis** exorcistis inuocare nomen **Domini IESU** super eos qui habebant spiritus malos, dicentes, Adiuramus vos per **IESUM**, quem **Paulus** predicat. Perpende quaeso an inuocatio hinc pro professione capi possit, & si impij **IESUM** tanta in re inuocabant, cur pij hoc facere non poterunt.

**X** Act: 22. vers. 7. 8. 10. Vbi **CHRISTUS** apparet **Paulo** & cum eo loquitur dicens, Ego sum **IESUS** ille **Nazarenus** quem tu persequeris. Et, **Dominus** autem dixit mihi, surge ac proficiscere **Damascum**. Et vers. 16. Nunc igitur, quid cunctaris? exurge & **Baptizare**, & ablue peccata tua inuocato nomine **Domini**. Et paulo post **Paulus** ait, Factum est autem cum essem reuersus in **Ierusalem**, & orarem in **Templo** vt raperer extra me, Et viderem eum dicentem mihi, Festina & exi citò ex **Ierusalem**, quoniam non accipient testimonium tuum de me. Et vers. 21. inquit, Proficiscere, nam ego ad gētes procul mitam te. Item **Cap: 23. vers. 11.** Sequenti verò nocte astans ei **Dominus** ait Confide **Paule**. Idem vide **Cap. 26. vers. 14. 15. 16.** Item **1. Cor: 9. vers. 1.** Vbi **Paulus** se vidisse **Dominum IESUM** affirmat. Idem facit **Cap: 11. vers. 23.** Et apertius **Cap: 15. vers. 8.** Et **Gal: 1. vers. 12.** Iam verò, si ubiq; in hisce locis disertè **IESUS CHRISTUS** nominatur, mirari non possumus facis, qua fronte isti ad apparitionem Angelorum trahant, quanquam & istud ipsorum effugium contra ipsorum sententiam manifestè facit. Nam si **CHRISTUS** per **Angelos** illa fecit,

opor



Oportuit certè & illum aliquid fecisse, qui misit illos.

EX EPISTOLIS.

Ad Rom: Cap. 8. vers. 9. 34. Si quis spiritum Christi non habet, hic nō est eius, porro si Christus in nobis est &c. Item, Qui est ad dexteram Dei, & etiam interpellat, (vel postulat) pro nobis. Nota dictum fuisse, qui est ad dexteram Dei, non qui sedet.

Cap: 10. vers. 13. Quisquis enim inuocauerit nomē Domini, seruabitur, Quem locum Paulus transfert ad Christum ex Ioel 1. Addit. Quomodo igitur inuocabunt eum, in quem non crediderunt? De Christo hoc intelligendum: Nec refert quòd Propheta de Deo Patre locutus sit, cum Paulus sapissimè, quæ de Patre in veteri testamento dicuntur, ad filium Spiritu Sancto afflatus transferat & applicet.

Cap: 14. vers. 8. Nam siue viuimus Domino viuimus: siue morimur Domino morimur &c. Et vers: 10. 11. Omnes enim sistemur apud tribunal Christi. Scriptum est enim, Viuo ego dicit Dominus: Quoniam mihi sese flectet omne genu: De Christo loquens Apostolus Vti facit Philip. 2. vers 10. ex Es: cap: 45. Nota insuper verba Es: cap: 11. vers. 10. Vbi de futuro Messia loquens manifestè dicit, in ipso verò gentes sperabant. Quis autem in eum sperare poterit, quem inuocare non licebit?

I. Ad Cor: Cap: 1. vers. 3. Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Obserua hanc Gracis rmonis amphiboliam, quam aduersarij pueriliter pratexunt, ab ipso Paulo & alijs Apostolis aperte retundi tolliq;. Qua de re vide Gal: 1. vers 3. 2 Timot: 1. vers. 2. Tit: 1. vers. 4. Vide clarius 2. Ioan: vers 3. Et cap: ultimo ad Ephes: vers. 23. Apoc: 1. vers. 5. Vbi nullum locum habere potest detorsio, omnisq; tollitur ambiguitas: Cap: 5. vers 9. Vobis & meo spiritu in nomini Domini nostri Iesu Christi congregatis, cū potestate Domini nostri Iesu Christi Tradatur eiusmodi satane ad ritum carnis. Perpende an Christus tempore Pauli nullam habuerit potestatem, num in cælis in otio fuerit, & an Pauli sermo species quædam inuocationis non extiterit.

G

Cap:



Cap: 11. vers. 26. Quotiescunq; enim ederitis Panē hūc, & Poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis donec venerit. Expende in quem vsū memoriam facere debeamus usq; ad finem seculi illius, qui nihil agit, & nihil potest.

Cap: 15. vers. 25. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Quis hīc negabit oportere Christum ex parte regnare, donec impleatur electorum numerus?

Cap: 16. vers. 23. Gratia domini Iesu Christi sit vobiscum. Cogitet lector cur Paulus non Dei Patris, sed Iesu Christi gratiam precetur, & an non possimus nos quoq; cum Paulo gratiam à Christo petere.

II. Ad Cor. Cap: 2. vers. 14. Deo autem gratia, qui semper facit, vt nos triumphemus in Christo:

Cap: 5. vers. 20. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus Christi nomine reconciliemini Deo &c.

Cap: 10. vers. 1. Precor vos per clementiam & equitatem Christi. Obserua quid opus fuerat Paulo tam sepe Christum interpellare,

Cap. 12. vers. 8. 9. Super hoc ter Dominum rogavi, vt abscederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nam potentia mea per infirmitatem perficitur. Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me Potentia Christi. Expende queso an non Pauli oratio ad Christum Dominum dirigatur.

Cap: 13. vers. 10. Propterea hæc absens scribo, ne scueritate vtar ex potestate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem. Nota hīc Paulum non de doctrina, sed de potestate excommunicandi locutum esse, quam acceperat à Christo.

Ad Gal: Cap: 1. vers. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum, ac Deū Patrem Ecclesijs Galatiæ, Gratia vobis & pax, à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo. Et vers. 12. Neq; enim ego ab homine accepi, aut didici Euangelion, sed per revelationem Iesu Christi: Cogita, an Christus fuerit otiosus, qui

per



Cap: 11. vers. 26. Quotiescunq; enim ederitis Panē hūc, & Poculum hoc biberitis, mortem Domini annuntiatis donec venerit. Expende in quem vsū memoriam facere debeamus usq; ad finem seculi illius, qui nihil agit, & nihil potest.

Cap: 15. vers. 25. Nam oportet eum regnare, donec posuerit omnes inimicos sub pedes suos. Quis hīc negabit operante CHRISTUM ex parte regnare, donec impleatur electorum numerus?

Cap: 16. vers. 23. Gratia domini IESU CHRISTI sit vobiscum. Cogitet lector cur Paulus non Dei Patris, sed IESU CHRISTI gratiam precetur, & an non possimus nos quoq; cum Paulo gratiam à CHRISTO petere.

II. Ad Cor. Cap: 2. vers. 14. Deo autem gratia, qui semper facit, vt nos triumphemus in CHRISTO:

Cap: 5. vers. 20. Itaq; nomine CHRISTI legatione fungimur, velut Deo vos precante per nos: oramus CHRISTI nomine reconciliemini Deo &c.

Cap: 10. vers. 1. Precor vos per clementiam & equitatem CHRISTI. Obserua quid opus fuerat Paulo tam saepe CHRISTUM interpellare,

Cap. 12. vers. 8. 9. Super hoc ter Dominum rogavi, vt abscederet à me, & dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea: Nam potentia mea per infirmitatem perficitur. Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, vt inhabitet in me Potentia CHRISTI. Expende queso an non Pauli oratio ad CHRISTUM Dominum dirigatur.

Cap: 13. vers. 10. Propterea hæc absens scribo, ne seueritate vtar ex potestate quam dedit mihi Dominus ad ædificationem. Nota hīc Paulum non de doctrina, sed de potestate excommunicandi locutum esse, quam acceperat à CHRISTO.

Ad Gal: Cap: 1. vers. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per IESUM CHRISTUM, ac Deū Patrem Ecclesijs Galatiæ, Gratia vobis & pax, à Deo Patre, & Domino nostro IESU CHRISTO. Et vers. 11. Neq; enim ego ab homine accepi, aut didici Euangelion, sed per revelationem IESU CHRISTI: Cogita, an CHRISTUS fuerit otiosus, qui

per



per Spiritum suum Sanctum, non autem per homines Euange-  
lium Paulo reuelavit. Nota & in hac Salutatione Pauli tolli  
omnem amphiboliam quam querunt aduersarij.

Cap: 4. vers. 6. Emisit DEUS Spiritum filij sui in cor-  
da vestra clamantem: Abba Pater. En habes spiritum CHri-  
sti in Ecclesia operantem.

Cap: ultimo vers ultimo, Gratia Domini IESU CHri-  
sti cum spiritu vestro, fratres, Amen. Vide queso quid hoc  
sit, & an gratiam & pacem ad doctrinam transferre aduer-  
sarij recte possint.

Ad Eph: Cap: 1. vers. 12. Nos qui priores speraui-  
mus in CHRISTO, in quo sperate & vos. Consideres an in eum  
sperare oporteat, qui nihil nobis auxiliij prestare potest.

Cap: 2. vers. 14. Idem confirmat dicens: Ipse enim est  
pax nostra. Quod si ita erit, cur pacem ab eo petere non lice-  
bit, qui pax nostra esse dicitur?

Et vers. 18. Quoniam inquit per CHRISTUM utriq; adi-  
tum habemus, in vno Spiritu ad Patrem. Quod confirmat, &  
Cap: 3. vers. 12. dicens: Per quem habemus audaciam &  
aditum ad Patrem cum fiducia, iuxta illud quoq; ioan. Ne-  
mo venit ad Patrem nisi per me, Et sine me nihil potestis facere.  
Et ego sum ostium, vitus & via ad Patrem. Hæc cum mani-  
feste ad CHRISTI personam pertineant. Videant illi quid agant  
qui ad doctrinam eiusmodi phrasas transferunt dicentes: Ego  
ita est doctrina mea, & per CHRISTUM habemus accessum ad Pa-  
trem, id est, per doctrinam CHRISTI.

Cap: 5. vers. 23, CHRISTUS est caput Ecclesie & is est, qui  
salutem dat Corpori. Quid opus queso fuerat Paulo, hæc di-  
cere de CHRISTO, si postquam ascendit ociatur, & nullam Eccle-  
siae suae curam habet. Addit vers. 29. Nullus enim vnq; suam  
ipsius carnem odio habuit: imo enutrit ac fouet eam, sicut & Dñs  
Ecclesiam. Et quomodo poterit fouere, si non regnat et nihil agit?

Ad Philip: Cap: 1. vers. 19. Hoc enim cedit mihi in salu-  
tem per vestras preces, & per subministrationem Spiritus CHri-  
sti. Et vers. 21. Cupio desolui, & esse cum CHRISTO: cur queso  
cupit esse cum CHRISTO, qui nihil potest in terris sed stertit?



Cap: 2. vers. 9. 10. In nōe IESU ōne genu se flectat, Et  
ōnis lingua confiteatur, IESU CHRIStū esse dñum. Expende si  
vni Deo omnis gloria, & honor debetur, Cur CHRISO genua  
erūt flectenda, in contumeliā Patris, cui soli seruiendū, & ōnis  
honor laus, & gloria debetur? Et vers. 19. Spero aut in dño  
IESU, me breui misurū Timoth. Quis vero in eum sperat, à  
quo uullū expectat subsidiū? Et vers. ult: cap: 4. Gratia inqt  
Domini nostri IESU CHRISti sit cum omnibus vobis.

Ad Coloss: Cap: 1. vers. 16. 17. Omnia per eum consistūt,  
& per eū condita sunt ōnia, & ipse est caput Ecclesie. Expēde  
si cū inuocare non poterit Ecclesia, per quē ōnia consistunt, &  
quale caput erit illud, quod sua membra iuuare nō poterit? Sed  
hic aduersarij Ecclesiā volunt esse Acephalā. Et vers. 19. Cō=  
placuit Patri, vt ōnis plenitudo habitaret in CHRISto. in quē  
vsum queso oportuit impleri CHRIStū spiritu s. absq; mēsurā,  
nisi vt de eius plenitudine nos acciperemus? Sed addit Paulus  
vers. 29. dicens: Decerto secundum efficacitatē CHRISti, agē=  
tem in me potenter, Quod si dictum Pauli, ad doctrinam ad=  
uersarij referre volent, respondeant, an non Euangelij doctrina  
continua CHRISti efficacitate indegeat. Et an non inanis do=  
ctrina futura sit, quæ non à Spiritu CHRISti incessanter viuifi=  
cabitur.

Cap: 3. vers. 11. 12. 29. CHRIStus est omnia in omnibus,  
Et omnia fiant in nomine Domini nostri IESU CHRISti, gratias  
agentes Patri per ipsum. Deinde addit Apost: Domino IESU  
CHRISTO seruitis. Quid autem hæc sibi velint cogitabit lector.

1. Ad Ithess: Cap: 3. vers. 11. Ipse vero DEVS, &  
Pater noster, & Dominus noster IESUS CHRIStus, dirigat viam  
nostram ad vos. Hic dicant aduersarij, an hæc Pauli sit ob=  
scura inuocatio. Et cur voluerit Deo Patri CHRIStum filium  
adiungere, cum solus DEVS Pater sit inuocandus. Sed audi  
adhuc clarius Paulum inuocantem cum ait, Cap: 2. vers. 16.  
Epist: 2. Ipse vero Dominus noster IESUS CHRIStus, & DEVS,  
& Pater noster, confortetur corda vestra, & stabiliat vos, in  
omni opere bono, & sermone. Quid queso clarior?

Cap: 3. vers. ultimo. Epistola 2. Postquam precatus est



Paulus Ecclesijs gratiam Domini nostri IESU CHRISTI, mox dicit hanc salutacionis formam singulare suarum epistolarum signum esse.

Ad Timoth: Cap: 1. vers. 1. Dñi nostri IESU CHRISTI spei nostre. Perpende, An non poterit inuocari is, qui est & dicitur spes nostra vers. 12. 13. 14. Gratiam habeo ei, qui me robustum fecit Domino IESU CHRISTO, qui mei misertus est, meq; posuit in ministerio, vt in me primo omnem clementiam ostenderet. Ecce quàm fuerit ociosus CHRISTUS post suum in cœlis ascensum. Quod si tempore Pauli miserebatur CHRISTUS suorum fidelium, cur nunc id facere non poterit?

Cap: 1. vers. 2. Obserua hic quoq; tolli omnem ambiguitatem, cum dicit gratia vobis, & pax à DEO Patre, non addens nostris, & à Domino nostro IESU CHRISTO, vt supra ex alijs plurimis etiam locis probatum fuit.

Cap: 2 vers. 19. 22. Sectare iusticiam inquit, & pacem cum ijs qui inuocant Dominum ex puro corde, & discedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen CHRISTI. in primo loco Beza cum alijs aliquot eruditissimis, inuocare, pro colere interpretatur. Vtunq; aduersarij, pro nominare, & profiteri, declarare, inuocationis nomen illic accipiendum putent.

Cap: 4. vers. 1. Quod prius fecerat. 1. Tim: 5. vers. 21. Obtestor vos inquit coram DEO, & domino IESU CHRISTO. Quid queso oportuit, coram CHRISTO aliquid testari. si preces nostras non audit, & ociatur in cœlis? vers. 17. Dominus mihi adfuit, & corroborauit me, & eripuit me ab omni opere malo. Expēde an nō hoc sit, aliquid facere, & curā suam habere. Et vers. ultimo. Dominus IESUS CHRISTUS sit cum spiritu tuo. Et gratia CHRISTI sit vobiscum. Hinc collige, an possimus inuocare Christum, vt esse velit cum spiritu nostro, & gratiam ab eo cum Paulo precari.

Ad Tit: 1. vers. 4. Omnem quoq; tollit amphiboliam, dum absq; nostro Patrem nominat, & Christum nominandi casu ponit. Cap: 3. DEVS, qui seruauit nos per renouationē Spiritus S. quem effudit in nos copiose per IESUM CHRISTUM saluatore nostrū. Obserua à DEO Patre, per Christum dari



nobis Spiritum Sanctum & proinde Christum aliquid facere.

Ad Heb: Cap: 1 v. 3. Portansq; omnia verbo virtutis ipsius, id est Patris & per quem etiam mundum condidit. Vide queso an non Ecclesie membra, & saluandi quotidie nascantur, & proinde a Christo continue regenerandi sint, quoadusq; electorum numerus implebitur. Et vers. 6. Ut adorent eum omnes Angeli Dei. Hic confideres eo usq; exaltatum fuisse Christum ut Angeli eum adorare debeant. Vnde illud ut honorent filium sicut honorant Patrem. Et qui non honorat filium, non honorat Patrem. Et illud quoq; Pauli, Gloria & honore cernimus Iesum coronatum a Deo.

Cap: 2. vers. 17. 18. Vnde debuit fratribus per omnia similis esse, ut misericors esset, & fidelis pontifex in ijs, quae apud Deum agenda forent. nam ex eo inquit, quod perpeßus fuit & tentatus, potest & ijs, qui tentantur auxiliari. Cogitent aduersarij, an fideles nunc quoq; tentantur, & tentati Christi auxilio indigeant.

Cap: 3. vers. 1. Considerate fratres Apostolum, & Pontificem Christum Iesum, Et cap: 4. vers 14. Habentes ergo Pontificem magnam filium Dei, non tale qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed qui per omnia tentatus sit absq; peccato. Accedamus cum fiducia ad Thronum gratiae eius.

Et Cap: 7. vers. 24. 15. At Iesus Christus, propterea quod in eternum manet, perpetuum habet Sacerdotium. vnde & saluare in perpetuum post eos, qui per ipsam accedunt ad Deum, semper viuens ut interpellet pro eis. Quid clarius dici queat ad probandam Sacerdotij Christi perpetuitatem Ecclesiae perpetuae gubernationem & intercessionem non videt.

Cap: 8. vers. 1. Tale habemus Pontificem, qui coesedit ad dexteram Throni maiestatis caelestis sanctuarii minister &c. Et vers. 6. At nunc noster ille Pontifex, eo excellentius Ministerium quam a Moyses sortitus est quod prestantioris est foederis intercessor. Nota cum dicit, nunc, & presenti temporis est. Accedit vers. 15. Itaq; ob id noui foederis melior est, non id autem, fuit tantum tempore Carnis suae. Et vers. 14. Ingressus est Christus ipsam caelum, ut appareat nunc in conspectu Dei, pro nobis. Nota quod dicit, nunc, non tunc. Et expende, an incassum appareat pro nobis coram Deo.



Cap: 10. vers. 21. 22. Confirmādo quod supra dixerat  
Cap: 4. vers. 14. inquit. Cumq; habeamus sacerdotē magnū,  
præfētū domui Dei, accedamus cū vero corde, & certitudine  
fidei. Idē apertius confirmat, cap: 12. vers. 24. dicēs: Acce=  
dite ad noui testamēti mediatorē Iesum. Vide an accedendū sit  
ad eū, quē nō possumus inuocare, Et cur Apostolus totiens nos  
hortetur vt accedamus ad mediatorem IESUM.

Cap: 14. vers. 13. 17 Exeamus igitur ad eū extra cast=  
ra, & per ipsū assidue offeramus Deo sacrificiū laudis, id est  
fructū labiorū confitentiu nūi eius. Cur queso offerā Deo per  
Christū sacrificiū laudis, Si non est mediator noster?

I. Pet: Cap: 1. vers. 14. Breui deponā inquit taberna=  
culū hoc meū, sicut Dñs noster IESUS CHRISTUS reuelauit. Co=  
gites an Christus ociatus sit in cœlis postq̄ ascendit, cum appa=  
ruerit vel per se ipsum vel per suos ministros Angelos Apo=  
stolus, multaq; illis reuelauerit.

I. Ioan: Cap: 2. vers. 1. Ne peccetis fratres, quod si q̄s  
peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrē IESUM Christū  
nostrū. Nota quod dicit habemus presenti tempore.

II. Ioan: Cap: 1. vers. 3. Sit vobiscum inquit gratia, &  
pax à Deo Patre, & à Dño nostro IESU CHRISTO Locus hic  
apertissimus est, & tollit omnem ambiguitatem, Cum non ad=  
datur nostro, & apposita sit à præppitio.

Apoc: Cap: 3. vers. 1. 20. Ecce sto ad ostiū & pulso, Si  
quis aperuerit ingrediar. Quomodo verò ingreditur, si nihil  
agit, & neminem audit?

Cap: 4. vers 13. Audiui omnem creaturam dicentē sedē=  
ti in Throno & agno benedictio, honor & gloria & potestas  
in secula seculorum, Amen. Cogites an non ille cui datur  
tanta potestas possit inuocari.

Et cap: ultimo vers. 16. Ego IESU misi Angelum meum  
vt hæc Ecclesijs testificaretur. Procul dubio non quiescebat aut  
stertebat CHRISTUS tempore Ioannis, dñ mitteret Angelos suos.  
In fine vero claudit dicens: Gratia Domini nostri IESU Chri=  
sti sit vobiscum. Amen.

Die ultimo Decemb: 1579. Anno.

